







*F. S. mem. a*

4  
DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
FATIS ORDINIS SUCCEDENDI  
IN FEUDA LEGITIMI.

QUAM  
ACADEMIÆ MILITARIS  
STATORE AC PROTECTORE SUMMO  
SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO  
DUCE AC DOMINO,  
DOMINO

9 332  
CAROLO,

DUCE WIRTEMBERGIE ET TECC, REGNANTE ETC.


STUTTGARDIÆ DIE IX. DEC. MDCCLXXIX.

PUBLICE DEFENDET

LUD. FRID. JOH. GRUB, STUTTGARD.

DUCALIS ACADEMIÆ MILITARIS ALUMNUS.

STUTTGARDIÆ,  
TYPIS CHRISTOPHORI GODOFREDI MENTLERI.





INSTITUTIONE  
L'ATRE CREDITOCCI DI DI

ANNO DOMINI  
L'ANNO DOMINI

DUCE I DOMINO  
DOMINO

CAROLO

STETTINAE  
L'ANNO DOMINI

STETTINAE  
L'ANNO DOMINI





SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO

E A R O L O,

DUCI WIRTEMBERGÆ ET TECCLÆ REGNANTI,  
COMITI MONTISPELIGARTENSI,  
DYNASTÆ IN HAIDENHEIM ET JUSTINGEN,  
REL. REL. REL.

DOMINO,  
*Nutritio, Educatori suo*  
LONGE CLEMENTISSIMO, BENIGNISSIMO,

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS  
SUBMISSISSIME OFFERT

Auctor.



PRINCIPALIS AC DOMINO

DOMINO

DE R. O. L. O.

DE WITTEBORG DE THURE REGNANT  
DESSA IN WITTEBORG DE WITTEBORG

DOMINO

LEONCE CLEMENTISSIMO, HENRICISSIMO,  
NATISSIMO, EDUCATISSIMO

DE WITTEBORG DE THURE REGNANT  
DESSA IN WITTEBORG DE WITTEBORG

1688





Serenissime Dux,  
Domine ac Pater  
longe Clementissime!

Cum juris studium fere per integrum jam sexen-  
nium (ex quo scilicet mihi contigit esse tam  
felici, ut summorum, quibus Academica *TUÆ*  
alumnis frui licet, beneficiorum particeps factus sim)  
summa, quæ in *TE* est, Princeps Indulgentissi-  
me, adjuvus munificentia, excolendum suscepissem, ab-

\* 3

solu-



Secundus Dux  
Dominus de Patro  
Iosephus

soluto jam ejus curriculo de progressibus in eo factis  
specimen exhibere, si non clementissimus *Principis*  
iustus, vel ipsa me res admoneret. Ipsius quidem the-  
matis gravitas ex eo dilucide jam apparet, cum ipse  
*Summus Gratosissimi Principis* nutus id mihi  
elaborandum demandaverit. Hinc id potissimum cu-  
ro, id unum in votis habeo. ut successus, quo labo-  
rem hunc absolvi, non plane indignus videatur *Tan-*  
*ti Æstimatoris* expectatione, ut quodammodo fal-  
tem respondeat summo meo, quo ut cæteris *Gra-*  
*tiosissimi Principis* mandatis, ita & huic clemen-  
tissime mihi demandatæ provinciæ satagere tentavi, stu-  
dio. Affatim utique in caput meum redundarent co-  
natuum meorum præmia, si id attigissem, ut *CA-*  
*ROLI* assensu non prorsus indigna videatur hæc mea  
qualiscunque opella. Sed quid de præmiis somnio &  
hono-



honoribus, cum meæ me exilitatis sensus urgeat?  
cum fat mihi esse debeat, si *Gravissimi* ejusmodi  
*Judicis* veniam impetraverim. Sed *TUA* me fo-  
vet, *Princeps Clementissime*, indulgentia, quam  
æqui bonique consulturam confido qualemcunque la-  
boris successum, modo voluntas adfuerit respondendi  
ei, quam merito concepisti, expectationi. Ad hunc  
autem finem obtinendum omnes nervos strinxi, om-  
nes vires intendi, & quicquid semper in me virium  
erit, non dicabitur, nisi observandis *Tanti Prin-*  
*cipis* nutibus, nec ea unquam animo meo Pietas ex-  
cidet, quæ omnem *EI* divinitus prosperitatem appre-  
catur, *CUI* omnem meam à teneris inde educationem,  
*CUI* unicam debeo ac perennem salutem. Nec Sum-  
mum, quod *Wirtembergiæ* commodis invigilat, Nu-  
men, preces meas repudiabit nec *Academiæ Nostræ*

Sum-



*Summum & Munificentissimum Statorem ac Nutricium nec Patriæ Patrem nec seræ proli alium eripiet CAROLI imperium.*

*Hæc sacra mihi semper & solennia vota erunt & ita ad extremum usquæ vitæ halitum sentiet.*

**Serenissime Dux**


*Domine ac Pater longe clementissime*

**T u u s**

*humillimus & devotissimus Alumnus*

**Ludovicus Fridericus Grub.**






# Conspectus.

D e

*Fatis ordinis succedendi in feudis legitimi.*



I. Introitus § 1:

II. Sectio *prima* de ordine successionis in allodijs ex jure germanico. § 2. — 26.

A. Nostra sententia exponitur

α) de proximitate

a) in prima periodo juris Germanici. — § 8.

b) in altera periodo, a temporibus Carolingorum ad tempora conditorum speculorum. § 9.

c) in tertia periodo speculorum scilicet — § 12.

β) de ratione computandæ proximitatis § 13. — 18.

a) ratio ipsa traditur — § 14.

b) probatur, hanc rationem secutos esse Germanos — § 18.

B. Argumenta adversariorum refutantur § 19. — 25.

C. Unicum denique mediæ ævi exemplum, qua nostra firmatur sententia, subjungitur. § 26.

\*\*

III.



III. Sectio *secunda*, de ordine successioneis feudalis. § 27. — 53.

A. Communi

α) ex jure Germanico — § 37.

a) quædam de origine successioneis feudalis præmittuntur. —  
§ 30.

b) ordo succedendi ipse

1) secundum nostram sententiam explicatur — § 31.

2) ad argumenta adversæ sententiæ huc spectantia respon-  
detur — § 37.

β) ex jure Longobardico iterum § 38. — 51.

a) præmittuntur quædam de origine successioneis feudalis —  
§ 41.

b) ordo succedendi ipse traditur — § 51.

1) generatim — § 47.



2) speciatim explicatur textus II. F. 50. — § 51.

B. adduntur quædam observationes de ordine succedendi jure pri-  
mogenituræ. § 52. 53.




Pro-



Prooemium.




U  
Initio quidem, ubi ad scribendum me accingerem, juris succedendi in feuda, ratione ordinis successione legitime. fata non solum secundum leges ab antiquissimis temporibus in Germania obtinentes pertractandi, sed diversorum quoque temporum observantiae, qua illae confirmabantur vel aliter determinabantur, rationem habendi animus erat. Instituto vero ulteriori hujus rei examine, cum leges de hac re tum antiqui tum medii aevi nondum satis expositas deprehenderem, & mihi persuaderem non obstante hac difficultate praemittendam tamen esse legum de successione ordine editarum expositionem, non

\* \* 2

lu-





Iuculenter ad nostra usque tempora pertractatam; huic soli  
elaborande intentus in materiam minime sterilem incidi, quæ  
quidem ad implendos dissertatiunculæ limites sufficiens erit.  
Pars altera itaque dissertationis, quæ observantiam circa suc-  
cessionis ordinem tradere debebat, in aliud tempus erit dif-  
ferenda.







§ I.

### INTROITUS.

**F**euda germanicum esse institutum nemo est hodie qui ignoret, aut neget. Origo eorum a doctissimis viris fatis excussa est, neque mihi hoc loco, utrum ab antiquissimis, ad quæ rerum a germanis gestarum monumenta pertinent, temporibus ea repetenda, an subtilius cum *perill. G. L. BOEHMERO* a) natales eorum temporibus *Conradi Salici*, quo sc. regnante successio hereditaria introducta est in beneficiis militaribus, vindicandi sint, disquirendum esse existimo. Sed quemadmodum gradibus itum est ad hodiernam feudorum constitutionem generatim, ita gradibus quoque ventum est ad ea principia, quæ hodie in successione feudorum obtinent.

a) In *Obs. Jur. Feud. Obs. II.*



Igitur ex legibus germanicis omnis ævi, quæ de ordine successione feudalibus obtinuerint regulæ, exponendi hac opella periculum faciam. Quod cum fieri recte non posse putem, nisi perspectum habeamus, quis in allodiis apud germanos obtinuerit successione ordo, tractationem in duas dispescui sectiones, prima de ordine succedendi in allodia ex legibus germanorum domesticis acturus, altera de ordine succedendi in feuda jure feudali longobardico, sed & germanorum domestico definito expositurus. Possent quidem non sine insigni utilitate aliarum etiam nationum, quæ feudorum institutum receperunt, jura moresque excuti & cum germanis comparari; quæ res autem cum sit majoris laboris & temporis, eam aliis lucubrationibus refero.

## SECTIO I.

### *De ordine successione in allodiis ex jure germanico*

#### § 2.

An antiquissimis temporibus Germani omnis successione expertes fuerint, in medio potest relinqui. Affirmanti tamen sententiæ favere non videtur notissimus Taciti locus a), quo non de successione tantum, sed de gradibus successorum adeo loquitur.

#### § 3.

a) Cap. 20. de M. G.



## § 3.

Successio certe in immobilia postea demum formam quandam accepisse videri potest, quam germani partim irruptione in provincias romani imperii facta, fixas ibi sedes posuissent, terrasque occupatas inter se divisissent, partim & qui intra germaniæ fines se continuerunt, agris colendis fixisque sedibus magis assueverunt. Et apud eos quidem populos, quibus in occupatis provinciis agri dividerentur, obtinuisse videtur, ut quod quisque terræ obtinisset, id pro se hæredibusque suis, id est, liberis ceterisque descendentibus, obtinuisse existimaretur a).

## § 4.

Ut autem eo rectius perspiciamus successiois ordinem germanis usitatum, attendendum est hoc loco paululum ad discrimen sexus, tantum non in omnibus antiquissimis legibus obvium. Et apud Salios quidem & Ripuarios, filios, id est, masculos in terra tantum salica seu aviatica exclusisse filias, in reliqua autem hæreditate etiam immobilium rerum æquali eas jure usas esse probabile fit a). Apud Saxones,


## A 2

a) Dicuntur hæc portiones *sortes*, in Leg. Burg. t. 1. § 1. *terra sortis titulo acquisita*, ibid. t. 78. *terre aviaticæ*, in Leg. Ripuar. t. 56.

§ ult. Neque dubito huc etiam referre *terras salicas* cum J. J. REINHARDO in der *Abhandlung von dem Erbfolgs-Recht der Töchter*, p. 15.

a) Leg. Sal. tit. 62. & Ripuar. c. l. conf. Marc. form. l. II. 10. apud J. J.





pater aut mater defuncti, filio non filiae hæreditatem relinquēbant b). Similiter Lex Angl. & Werinorum: *hæreditatem defuncti filius non filia suscipiat; & mater adeo moriens filio terram, mancipia, pecuniam, dimittat, filiae vero spolia colli* c). Idem non obscure aliquot locis indigitant Leges Alam. d) & Baju. e) & Burg. f) immo & Leges Longob. g). Ple-ræque autem hæ leges filiis non existentibus ad omnem hæreditatem filias admittunt, exclusis agnatis; unica lex Angl. & Werin. terras ad proximum paternæ generationis consanguineum vult pertinere h). Hæc tamen filiorum prærogativa secundum legem Saxonum ad filium ex nepote cum filia concurrentem quoque se extendit i). Sed licet etiam quandam super hac re legum diversitatem observare. Lege scilicet Salica k) hæc res ita determinatur, ut feminini fe-

xus

J. J. REINHARD c. l. p. 10. sqq. ubi, non omne allodium esse terram falicam pulcherrime probatum dedit. Itaque non consentio ei, ut § ult. Leg. Sal. & Rip. all. tit. tam de Salica terra quam de reliquis terris accipiam, neque in hoc, quod filiae in terra falica remotiores agnatos excluderint.

b) tit. VI. § 1.

c) tit. VI. § 1. 6.

d) tit. 88. (89.)

e) tit. 14. c. 8. § 1. c. 9. § 3.

f) tit. 14. c. 1. 2.

g) Lib. II. tit. 14. § 19. & Luit. I. 1.

h) l. c.

i) c. l. § ult.

k) c. t. 62.



xus personæ non nisi nominatæ ad successionem admittantur, post filias scilicet mater, foror, patris matrisque foror, post has autem succedat proximior de paterno genere, ubi sine dubio subintelligendum masculus. In lege Ripuar. nihil determinatur. Lege autem Angl. & Werin. usque ad quintam generationem paterna generatio succedit, seu non tantum prærogativa illa præ feminis ratione terræ utitur, sed & post exceptas specialiter personas heres ex toto succedit. Post quintam autem generationem filia seu femina proximior, scilicet ex toto, succedit, sed fortassis feminæ tantum, non mari l). In lege etiam Saxonum m) occurrit prærogativa paterni generis ratione tutelæ viduarum & filiarum, a qua haud inepta est ad successionem argumentatio.

§ 5.

Jam de ordine successionis videamus. Id quidem omnibus populis, quarum leges ad nos pervenerunt, commune fuit, ut filii five liberi succederent parentibus ante omnes alios a), adeo ut nec eos venditione vel traditione aliqua facta excludere licuerit b).

§ 6.


l) c. l. § ult. quia scilicet hoc caput conjunctum est cum eo, quod de successione in bona matris loquitur.

m) c. t. c. 2.

a) Leg. Sal. tit. 62. § 1. Leg. Rip. tit. 56. (58.) § 1. Leg. Alam. tit. 88. 57. Leg. Baj. tit. 14. c. 8. § 1. Leg. Angl. & Wer. tit. VI. § 1. Leg. Sax. tit. 7. § 1. Leg. Burg. tit. 14. § 1. Leg. Long. Lib. II. tit. 14. § 19. Leg. Wisig. IV. 2. 1.

b) Leg. Rip. tit. 67. (69.) Leg. Burg. tit. 1. c. 1. vid. tamen Leg. Alam. tit. 2. Leg. Sax. tit. 15. § 2.





## § 6.

Itaque primi sine dubio in successione apud omnes germanicæ originis populos fuerunt filii. Neque filiis non existentibus nepotes excluderentur, velut ex gr. ex Leg. Sax. colligi potest. cf. etiam lex Baju. c. 1. §. 2. De jure vero repræsentationis nepotum cum patris concurrentium ingens oritur dubitatio. Equidem ei locum fuisse negaverim, cum nullum de eo in legibus extet vestigium. Tandem vero decreto Childeberti Regis a) datum nepotibus jus repræsentationis, quod ipsum tamen non adeo videtur moribus usurpatum fuisse; unde parentes dispositionibus nepotibus suis subvenire consultius duxerunt. vid. Marculf. form. Lib. II. c. 10. b) In reliquis legibus altum de hoc jure repræsentationis silentium.

## § 7.

Nullis exstantibus liberis ad propinquos res rediit. Et hoc loco graduum nonnunquam fit mentio, ad quos usque perveniat defuncti hereditas, excluso fisco. Lege Ripuar. quinti geniculi fit mentio. a) Lege Baju. propinquus usque ad septimum gradum tribuitur successio, post hos fisco. b) Similiter

a) Capitul. Reg. Franc. apud GEORGISCH pag 473.

b) Cf. doctissimus F. C. J. FISHER in dem Versuch über die Geschichte der teutschen Erbfolge. Mannheim 1778. 1. Th. p. 141. sq.

§7. a) a. l. c. 3. cf. lex Sax. tit. 47. (46) cap. 4. tit. 65. tit. 63. c. 3.

b) Leg. Baju. tit. 14. c. 9. § 4. 9. 309.



ter leges Longobardicæ. c) Sed ad quos, quo ordine veniat, videamus, ut si fieri possit, de ordine succedendi indicemus constantem regulam. Videamus primum de parentibus. Patris matrisque prima est causa lege Salica & Ripuariorum; d) matris secunda tantum, præcedente scilicet forore in lege Angl. & Werinorum. e) Ex jure Alam. f) ingeniosè successione patris in hereditatem matris in infantem devolutam deducit HEINECCIUS. g) Jure Longobardico mater diserte excluditur. h) Secundum leges Burgundionum pater quidem succedit filio, sed ita tantum, *ut nihil exinde alienandi habeat potestatem, ipsoque in fata collapso ad reliquos filios defuncti fratres substantia remaneat.* i) Qui locus si conferatur alteri, k) apparet, patri æquale cum fratribus defuncti jus datum esse. Matri initio idem jus competebat, postea autem ei pinguius jus datum, scilicet medietas hæreditatis. l) Quod jam ad reliquos propinquos attinet, qui tantum non semper *propinquorum, proximiorum parentum* nomine indignantur, sequentia tantum ex modo adductis legibus licuit

c) Roth. 153.

d) ll. all.

e) tit. 6. § 3.

f) tit. 92. § 1.

g) Elem. juris germ. lib. II. § 249.


h) HEINECC. c. 1. § 248.

i) tit. 51. cap. 2.

k) tit. 78.

l) tit. 53.





cuit observare. Lege scilicet *salica* & *Ripuar.* m) fratrum tantum fororumque, deinde fororum patris matrisque; Lege *Angl.* & *Werin.* n) fororis tantum fit mentio. In *Leg. Sax.* propinqui ita se insequuntur: filius, frater, frater patris, proximus paterni generis. o) Similiter in *Leg. Long.* frater, barbarus, i. e. patruus, consobrinus. p)

## § 8.

Ex his omnibus apparet, 1) ordinis quidem successorum nullam in his legibus expressam mentionem fieri, sollicite tamen distinctos esse descendentes aliosque propinquos, 2) ascendentium et quandoque foeminarum successione tantum non extraordinariam fuisse, & in casibus tantum speciatim exceptis locum habuisse: 3) *gradus* autem ideam aliquam his gentibus adeo non fuisse incognitam, ut potius ejus in descendentes & collateralibus quam maxime rationem habuerint ita, ut propior excluderet remotiorem.

## § 9.

Tantum de prima periodo juris germanici. Altera ejus aetas, quae à temporibus Carolingorum ad tempora conditorum speculorum, & hic ibi in scripturam redactorum jurium provincialium, statutariorumque pertingit, paucissima nobis

m) all. 1.

n) all. 1.

o) c. 2. 6. 7.

p) l. 10, 1. 5. Roth. 163.



nobis legum monumenta, non nisi forte in chronicis obvia, transmittit. a) Unica, quæ ad rem nostram pertineat, lex est famosissima illa constitutio Ottoniana de jure nepotum in patris locum in successione avi intrandi, b) quæ tamen nec ipsa vicit ubique Germanorum antiquiores mores, cum jus representationis in sequenti etiam periodo plurimis in locis ignoretur. c)

§ 10.

Tertia igitur periodus est speculorum. Jure prov. Sax. successio primo loco defertur liberis, servato tamen sexus discrimine, ita ut filiæ præter geradam nihil acciperent, existentibus filiis: a) Nepotes ex filio cum patris concurrentes in patris locum succedunt, si hic ab avo non fuerit separatus. b) Deficientibus liberis succedit pater, mater autem eo tantum casu, si pater superstes non sit. Ulteriorum ascendentium mentio nulla fit, quod notatu dignissimum.

§ 9. a) quæ ex diplomatibus huic rei subsidia forsan peti possent, aliæ tractationi reservo.

b) vid. HEINECC. c. 1. Lib. II. §. 231.

c) cf. FISCHER all. 1.

§ 10. a) Lib. I. art. 17.

b) Lib. I. art. 5.



num. c) Nec patre nec matre superstite, defuncto succedunt fratres germani, exclusis sororibus d), exclusis etiam fratrum filiiis. e) Ulterius masculorum prærogativa non extenditur, sed simpliciter succedit proximus sive masculus sive fœmina, f)

### § II.

Quod ad jus provinciale Alamannicum attinet, nullum est dubium, etiam hoc jure liberorum primam esse causam. a) De jure repræsentationis nepotum repetuntur juris Saxonici verba b). Post descendentes venit pater in bonis ab ipso profectis c), non in acquisitis, in quibus succedit proximus hæres, id est, frater & soror d), germani scilicet, qui

c) art. 17. Ad quem art. glossa germ. *Ganerben heissen darum so, dass das Erbe auf sie niedervarts eilet und gebet.* Itaque glossator videtur ultiores ascendentes excludere.

d) cit. art. 17.

e) id quidem ex ipso speculo non nisi argumentando deducitur, sed tamen hoc jus hodiernum in foro juris saxonici obtinet, teste CARPZ. in *jurispr. for.* P. III. Const XVIII. def. I.

f) c. art. 17. §. 27.

§ II. a) J. P. Al. ex edit. Schilt, c. 139. § 1-3. 10. cap. 16. § 1.

b) *ibid.* cap. 5. qui locus si curatius inspiciatur, docere nos potest, ex filia nepotes in hereditate avi non concurrere cum nepotibus ex filio. An vero nepotes ex filio concurrant etiam cum amicitis suis, jure Saxonico dubium potest videri, jure Al. minus, quo scilicet filia a filiis non excluduntur.

c) cap. 16. § 1.

d) cap. 16. § 2. 3. 4.



qui excludunt ex uno latere junctos. e) Porro bona paterni generis in agnatos, i. e. per patrem conjunctos, materni in cognatos i. e. per matrem conjunctos devolvi tradit, f) Tandem generatim successio proximi stabilitur. g)

§ 12.

Ex antecedentibus apparet, leges germanicas tam antiquissimas, quam medii, quod vocant, ævi in hoc consentire, quod 1) exstantibus *liberis* successio non nisi ad hos devolvatur a). 2) quod plurimæ deficientibus liberis patrem ad successionem vocent, nonnullæ matrem, nullæ autem alios ascendentes. 3) quod tandem *proximo* defertur successio,

Supereft jam, ut qua ratione proximitas illa computanda fit, curatius inquiram. Notissima quidem hodie est in materia successionis romana seu civilis computandi ratio, cui opponitur canonica: si vero cogitemus, non solum romanam illam computandi rationem esse artificiosissimam & vix talem, quæ à populo abstractis nationibus non admodum assueto expectari possit,

B 2

e) cap. 387.

f) cap. 271. & speciatim de bonis *Anfidel* dictis, cap. 139. §. 10. 11.

g) cap. 4. § 12. 13. cap. 16. § ult. cap. 139. § 10. cap. 271. § ult.

§ 12. a) Licet et conjuges succedant, id tamen hoc loco nostra nihil refert.



possit, sed si quoque meminerimus, illam ad id usque tempus, quo jus romanum in occidente ex pulvere extractum Europam inundare coepit, incognitam fuisse, b) facile id subodorabimur, Germanos olim proprio, et a romana ratione diverso computandi modo usos fuisse. Cum hæc res à nemine, quantum sciam, satis explorata sit, ejus exponendæ periculum faciam c).

## § 13.

Rem ipsam primum tradam, rationes, quibus sententia mea fulciri potest, subjuncturus. Principium omnis cognitionis in duarum personarum matrimonio collocarunt Germani, ex quibus qui gignerentur, familiam constituerent. Itaque primo loco erant filii, altero nepotes, tertio pronepotes & sic porro ad septimum usque gradum, quo finiebatur cognatio. Hæc computatio, quæ romano more computantibus tantum ad designandos descendentium gradus sufficit, sufficiebat germanis etiam ad determinandam rela-

b) Unde dudum viri doctissimi in eam sententiam adducti sunt, canonicam medio ævo etiam in materia successionum in usu fuisse. vid. Resp. JCTorum Tubing. seu perill. G. D. HOFFMANNI wegen der Rheingr. Dhaun. Erbfolgs-Sache, in der Vorlegung der Wild- und Rheingr. Succ. Fælle. Beylage pag. 67.

c) Postquam hæc scripsssem, incidi demum in C. F. HOMMELII Oblect. jur. feud. qui hanc rem omnem ita occupavit, ut nihil addi posse videatur. Series tamen tractationis meæ exposcit, ut quæ scripseram, retineantur. Et jam auctoritate quoque gravissima tutus ero.



— 13 —

relationem omnium cognatorum hoc fere modo: Si quis mihi cognatus sit, est vel patris mei filius, id est, frater, vel patris nepos, id est, fratris filius a), vel patris pronepos vel abnepos &c. vel avi mei filius, id est, patruus, vel nepos, pronepos, abnepos &c. vel Proavi filius, nepos, pronepos &c. & sic porro. Jam proximitatem quomodo aestimaverint, videamus. Proximi mihi erant, qui patris essent filii, nepotes, pronepotes &c. & propior, qui alterum praecederet, itaque propior filius nepote, nepos pronepote &c. Hos sequebantur avi mei filius, nepos &c. proavi filius, nepos &c.

§ 14.

Jam si hoc applicandum sit ad successionem proximo delatam, res omnis ad hanc redit regulam, ut inter duos mihi sit proximus, qui vel solus mecum sub eodem stipite communi proximo constitutus est, vel qui saltem ab eodem communi stipite proximo propius abest. - Sufficit itaque, quibus gradibus illi a stipite distent, computare, neque refert quicquam quibus gradibus ego ab eo distem. Nam si ex. gr. ego distem tribus, alter quatuor, tertius quinque gradibus, sine dubio is, qui distat quatuor, mihi est proximior. Si vero ad quatuor & quinque utrinque adderem

B 3

tres

§ 13. a) alii jam observarunt, vocabulum germ. *Vettertschaft* ab etymo Vater descendere, quod quidem suo reliquo.



tres gradus, quippe quibus ego disto a communi stipite, ratio non mutatur. Hæc computationis, delatæque ex ea secundum proximitatem successionis ratio, toties eundem effectum sortitur cum romana computatione (nullo scilicet respectu habito ad repræsentationis jus) quoties cognati cum defuncto eidem stipiti communi proximo subsunt, ut ecce, fratris filii utraque ratione præferuntur fratris nepotibus (patruo scilicet non existente). Convenit hæc ratio certo modo cum ea, quæ vulgo canonica dicitur, & a Pontificum auctoritate originem cepisse credita est. Id cuius statim in oculos incurret. Quodsi enim ex juris canonici sententia de duarum personarum proximitate pronuntiandum sit, numerantur tantum personæ in una linea, demto communi stipite. Neque tamen id ita accipiendum est, ut hæc regula possit etiam in successionibus locum habere, eo cum effectu, ut licet duæ personæ inæqualiter a communi stipite distent, æqualiter tamen ad hæreditatem admittantur, modo utraque separatim spectata secundum computandi rationem canonicam defuncto æqualiter conjuncta sit, quod fit, si defunctus vel utroque illo, qui de hereditate contendunt, remotius vel certe tantum, quantum remotior, distet, ex. gr. defunctus distet octavo vel septimo gradu a stipite, Cajus septimo, Titius sexto. Uterque cum defuncto erunt secundum computationem canoni-

can



cam in octavo vel septimo gradu. a) Verum enim vero liceat ab ingeniosissima hac sententia recedere. Superior enim regula, quæ præcipit, quo gradu remotior e duobus distet a communi supite, eo eos differre inter se, juri quidem matrimoniorum accommodata est, neque fallit ex mente juris canonici; sufficit enim fini, cui inventa est, scilicet ad demonstrandum, an duæ personæ cognatæ possint inter se copulari. Sed nec ipse Pontifex eandem regulam successionebus distasset. Accedit, quod ex supra dictis liquet, proximitatem in successionebus jure germanico non referri ad defunctum, sed tantum ad communem proximum stipitem, neque quæri, an quis proximior sit defuncto, sed uter heredum stipiti sit proximior; nullam enim aliam Germani habent proximitatis ideam; quod si observetur, dubium esse nequit, an qui inæqualiter ab eo distant, æquali sint gradu.


§ 15.

Sed jam accingo me ad probandum, hanc computandi rationem secutos esse Germanos. In Legibus eorum antiquissimis supra expositis certe nihil huic rationi contrarium licet reperire. Nam quod in Legibus Salicis & Ripuar. post fratrem statim fit mentio fororum patris matrisque, id me non movet, cum sine dubio intelligatur casus, quo frater plane nullus existit, neque etiam filii ex fratre super-

sunt,

§ 14. a) Ita in supra all. Resp. JCtorum Tubing. computatio insitui videtur.





sunt, qui sine dubio apitas & materteras defuncti exclusissent. Hoc certe uno argumento, si reliqua omnia consentiant, sententiâ mea non vincetur. Sed, nisi omnia fallunt, tantum adest, ut ex his legibus impugnari possit sententiâ mea, ut potius ex ipsa lege Salica præsidium ei conciliandi animus sit. Scilicet celeberrimo textui Salicæ legis tit. LXII, § 6, in editione Heroldina adjecta sunt sequentiâ verba: *Sed ubi inter nepotes aut pronepotes post longum tempus de alode terræ contentio suscitatur, non per stirpes sed per capita dividatur.* Si hic locus acciperetur de nepotibus vel pronepotibus defuncti, otiosa fane & tantum non absurda essent verba: *post longum tempus*; quæ commodissimum præbent sensum, si ita explicetur hic locus, ut post verba *inter nepotes aut pronepotes* subaudiatur: primi acquirentis, sive ejus, a quo defunctus & qui ei succedunt, originem ducunt, a quo terra Salica ad defunctum pervenit. Res ipsa loquitur, hanc contentionem non nisi post introductum Childeberti Regis decreto repræsentationis jus locum habere potuisse; ex quo dubium oriebatur, an inter collaterales quoque id obtineret, hoc scilicet colore, quod essent tanquam nepotes vel pronepotes ejus considerandi, a quo cum defuncto communem originem ducunt. Verba autem illa *post longum tempus* indigitare videntur, hereditatem, quæ avi aut proavi fuerit, post longum tempus, id est, post multas



multas demum successiones ad ipsos nepotes vel pronepotes quasi redire. Neque tamen si quis avo etiam vel proavo ipsi nepotes vel pronepotes in stirpes successisse ex hoc loco neget, magnopere cum eo contenderim. Accedit aliud argumentum a) quod cum infra § XVII. dicendis collatum non exigui est momenti; quod scilicet *gradus* vocabulum in dictis Legibus rarius occurrat. Jam vero si computandi rationem a romanis didicissent germani, dubium non est, quin ipsa etiam verba a romanis adhibita retinissent. At vero sæpius in dictis legibus vocabulum *geniculum* b), quam gradus c) adhibetur, nonnunquam *generatio* d). Inprimis autem memorabilis est in rem nostram locus Legum Longob. qui non obscure hanc nostram æstimandæ computandæque

§. 15. a) Debeo hoc argumentum HOMMELIO c. I. Obs. XIII. p 86.

b) Lex Sal. tit. 47. cap. ult. Lex Ripuar. tit. 56. cap. 3. Leg. Longob. Roth. 153. „*Omnis parentela usque in septimum geniculum numeretur.*„ Capitul. Caroli M. L. V. c 82. In conciliis etiam ejus ævi sæpius occurrit vocabulum *genu*. Vid. J. H. BOEHMER in Jur. Eccl. Pr. L. IV. tit. XIV. § 13.

c) Gradus vocabulum occurrit in Leg. Baj. tit. XIV. c. 9. § ult. In Legibus Wisigothorum frequens graduum mentio, ubi etiam eorum ex jure romano accurata expositio, quod sane rursus demonstrat novam fuisse Wisigothis hanc computandi rationem.

d) Generationis vox, in Leg. Angl. & Werin. tit. VI. § ult. Cui æquivalet vocabulum *progeniei*, Capit. Reg. Franc. ap. GEORGISCH P. 529. cf. BOEHMER. all. l. quod rursus refertur ad stirpem,



dæque cognationis rationem indigitat. Ait scilicet Rotharis Rex e): *Omnis parentela usque in septimum geniculum numeretur, ut parens parenti per gradum & parentelam heres succedat: sic tamen, ut ille, qui succedere vult, nominatim uniuscujusque nomina parentum suorum antecessorum dicat.* Annon aperte hoc loco proximitas refertur tantum ad antecessores ejus, qui succedere vult, non etiam ad ejus, qui defunctus est? Cur? quia sic satis constat de proximitate. Si enim duo de hereditate contendant, & alter se altero propiorem dicat, de eo non controversia, utrum uterque a communi stipite cum defuncto descendat, sed de eo, uter propius ab eo absit, quod hac ratione statim invenitur, si uterque *nomina parentum suorum antecessorum*, ad eum scilicet usque, qui ipsis fuit cum defuncto communis, *dicat*, qui statim possunt numerari. Tandem, quod supra § XIII. notavimus, cognatio his legibus desinit in septimo gradu. Interdicta autem erant ante Innocentium III. Pontificem matrimonia inter consanguineos absolute, id est, usque ad septimum gradum. Jam cum Innocentius eam prohibitionem ad quartum gradum, computationis scilicet canonicae, revocaverit, valide inde colligi potest, etiam septimum gradum aliter ac romano more computatum fuisse, tam in canonibus, quam in legibus illis f). § 16.

e) cap. 153.

f) Vid. Capitul. Add. IV. cap. 74. 75. cf. J. H. BOEHMER all. I. § XXIII. XXVI.



## § 16.

Secundum argumentum petimus ex historia computationis canonicae, quam dedit J. H. BOEHMER a). Hic quidem novam canonum computandi rationem inde originem duxisse asserit, quod solerent quidam omisso stipite, ordinem computandi a fratribus, quasi hi essent truncus, incipere b). Quicquid de hac explicatione Boehmeriana sentiamus, id certe negari nequit, talem computandi ordinem jam antiquissimis temporibus extitisse. Is vero a romana computatione plane abhorret, qua nec a trunco seu stipite computationis initium fit, neque fratres in primo aut nullo plane gradu constituti inveniuntur. Quid itaque reliquum est, quam ut confiteamur, eum consanguinitatem formandi ordinem, quo a trunco initium fit, a populis, qui romani imperii provincias occupaverant, ortum traxisse, id est, a Germanis. Et sane imprimis in Germania hanc a romana diversam computandi rationem in usu fuisse, ex antiquissimis Conciliorum decretis abunde apparet c). In hac quo-

C 2

que

§ 16. a) Jus Eccl. Protest. Lib. IV. tit. XIV. § I — XXX.

b) cf. c. 2. C. 35. q. 5. Hac ratione ex. gr. consobrini in secundo gradu collocabantur. Quis non videt id cum nostra computandi ratione egregie convenire?

c) BOEHMER §. 11. 12. 13.



que sententia est C. F. HOMMELIUS, Pontifices a Germanis computandi rationem didicisse d).

## § 17.

Sed superest invictissimum argumentum, ex speculo Saxonico & Suevico desumptum. Illud quidem habet: *Nu merke wir ouch, wo die sibbe beginnt, und wo sie ende. In deme boubeta ist bescheyden man und wib zu stende, die eliche und ecbliche zusamene komen sin. In des halbes lide die kindere, die ane zweinunge von vater und von muter geborn sin. ist da zweinunge an, die en mugen an eime lide nicht besen, und scriken an ein ander lid - - Ungezweiter bruder kindere die sten an deme gelide, da schuldere und arme zusamene komen; also tun die swester kindere. Diz ist die erste sibbe zale, die man zu magen rechen: bruder kindere und swester kindere. In deme elnebogen stet die andere. In deme lide der hant die dritte. In deme eyften geledes des mittelsten vingers die virde. In dem andern lide die vünfte. In deme dritten die sechste. In deme siebenden stet ein nagel, und nicht ein gelid; darum endet da die sibbe, und heizen naglmage. Die zwischen den nagele und deme boubeta sich zu der sibbe gestozen mugen an glicher stat, die nemen das erbe gliche. der sich nabey zu der sibbe gestozen mag, der nymt daz erbe zuvoren. Die sibbe endet in deme sibenden, erbe zu nemene a).* Speculum Suevicum b) idem mutatis tantum

d) Obl. jur. feud. Obl. XVI. p. 115.

§ 17. a) lib. 1. art. 3. apud GERTNER, p. 22. sq.

b) cap. 256, ed. Senkenberg, cap. 4. ed. Schilt.



nonnullis verbis repetit, nisi quod hæc sit inter utrumque  
 diverſitas, quod in Saxonico fratres & ſoroꛛes non conſti-  
 tuant gradum ſeu numerum, ſed conſobrini in primo ſint;  
 in Suevico autem fratres primum, conſobrini ſecundum ob-  
 tinent, unde fluxit, ut ſpeculatoꛛi Saxonico *nagelmagen* ſint,  
 qui ſeptimo gradu ſunt cognati, Suevico autem omnes, qui  
 ultra ſeptimum gradum cognati ſunt. Hæc tamen diverſi-  
 tas nobis plane non obſt. Utrovis enim modo compute-  
 mus, idem erit effectus. Et neutra ratio convenit roma-  
 næ computationi. Jam qua ratione hoc ſchema applican-  
 dum ſit ad ſucceſſionis materiam apertiffime producit ſpecu-  
 latoꛛes, ſcilicet eos, qui æquali a ſtipite, *der ſippe* c), di-  
 ſtent gradu, hereditatem æquis portionibus capere, eum  
 vero, qui propius accedat ſtipiti, remotiorem excludere.  
 Computatio ipſa autem hac ratione ſit, ut primum deſuncti  
 parens in ſtipite collocetur; ſi adſint ex eo filii nepotesve  
 &c. hi ſuccedent; ſi non adſint, collocandus eſt in ſtipite  
 deſuncti avus, & qui ex hoc ſuperſunt, ſuccedent, ita ta-  
 men ut propior excludat remotiorem. Et ſic deinceps.  
 Porro autem hæc cognationis figura plane non quadrat

C 3

com-

c) Satis vulgatum eſt hodie, germanicum *ſippe*, *ſibte*, ſtipitem, truncum,  
 in ramos ſe extendentem, i. e. communem cognationis alicujus pa-  
 rentem denotare, quod vel hic unus ſpeculi Saxonici locus evin-  
 ceret. Doct. FISCHERUS c. l. p. 124. not. c. ita: *Man merke ſich e,*  
*daß ſippe Stamm heißt.* Verum germanicum *Stamm* ambiguum eſt, ſi-  
 gnificat enim modo *ſtipitem*, modo *lineam*.



computationi romanæ. Huic non sufficit unus stipis communis defuncto scilicet & cognatis, sed sæpe ad plures adscendendum est. Germanica autem computatio unum tantum stipitem ponit: ergo etiam unus ei sufficit, id est, non ascenditur ad ultiores. Et in hoc potissimum situm est discrimen inter romanam & germanicam computationem d).

## § 18.

Talis itaque fuit, nisi fallor, Germanorum proximitatem computandi ratio, dum domestico jure uterentur. Postquam autem caput in Germania extulit romanum jus: ut in aliis, ita in hac quoque parte tantum non obliti sunt sui juris Germani, maximoque conatu id egerunt, ut ad romana placita mores suos accommodarent. Neque tamen ubique plane deleta sunt patrii juris vestigia, & hujus etiam, quem demonstravimus, computandi moris superest usus a).

## § 19.

Quo fundamento seu principio nifum fuerit successionis jus, quod ex Legibus mere Germanicis derivari potest, non ante

d) Hæc, si quid video, est maxime naturalis, & simplicissima æstimandæ proximitatis ratio; romana autem subtilior & notioni magis abstractæ superstructa. Nec video, quid nostræ ad certitudinem ad perfectionem desit.

§ 18. a) Velut in feudis Lusatæ superioris. vid. C. F. HOMMEL c. l. Obs. XV. p. 114.



aate diximus, quam de ipso succedendi ordine, legibus absque præoccupato animo inspectis, dixissemus. Sunt, qui omnis successionis Germanicæ fundamentum in *condominio* ponunt, admodum diversa ratione ab ea, quæ ex juris romani principiis fluit a). Cum vero plures sint successionis antiquæ Germanicæ species, scilicet successio eorum, qui speciali sensu dicuntur condomini (Ganerben), porro conjugum, deinde sanguine junctorum, in última specie (priors enim minus dubitationis habent) negant, vel negare certe debent superioris sententiæ fautores, sanguine junctos, nisi qua condominos ad successionem venire. Quod ut probari possit, inventa est distinctio condomini in *verum*, seu *expressum*, & *fictum* seu *tacitum*. Illud a doctissimo auctore *des Versuchs einer Geschichte der deutschen Erbfolge* b), ingeniose vocatur *propius*, *immediatum*, hoc, *remotius*, *mediatum*. At vero licet multa sint & gravissima argumenta, quæ pro hac sententia militant, nondum satis evictum esse arbitror, omnes condomini effectus in eo, quod *fictum*, *remotius* &c. dicitur concurrere. Communem usum & fructum nullum est dubium ei non inesse, proptereaque nonnunquam etiam audit *minus plenum*. Restrictam alienandi facultatem

com-

a) Post notissima SENKENBERGII & REINHARDI scripta inprimis sæpius laud. DN. FISCHERUS totus in eo est, ut hanc adfruat sententiam.

b) pag. 123.



comprobant quidem tot medii ævi diplomata, in quibus heredum consensum alienationibus accessisse apparet. Notandum tamen est sæpissime tantum eorum heredum, qui proximi in successione erant, consensum esse adhibitum, remotiorum neglectum e), quibus tamen ex supra adductis principiis condominium aliquod, licet remotius, denegari non possit. Si vero ex effectibus condominiumi solum remaneat successione jus, ceteris demtis, tum sane abuteremur vocabulo condominiumi, si eo ad designandum successione principium uteremur. Accedit, quod inita forte divisione, qua condominium ipsum tollitur, (Todtheilung) eo tantum casu perire videatur omne successione jus, si is, qui in divisione ea partem suam receperit, de ea aliter disposuerit, cum contra jura sanguinis salva maneant d). Tandem vix ex condominiumi principio explicari poterit successio patris matrisve in liberorum prædefunctorum bona (§ 10); quod argumentum tamen magni haud facio, præsertim cum jure pro-

e) rarissima sunt exempla de consensu remotiorum adhibito.

d) ex. gr. *Jobannes Comes Syly. & Rheni* in documento de anno 1414. proficitur, daß er derselben Wapen und namen eyn rechter erbe sey, als von alter Deylonge und widerzufalle des Schlosses und Wapen Dunen und Kirterg. vid. *gründl. Ausf. des Rheingr. Grumbach- und Rbeingrafenst. Erbfolgerechts &c.* 1750. Beyl. p 94. Factam autem fuisse hoc casu divisionem plenam, ex eo apparet, quod usus armorum & nominis intermissus fuerat. cf. *Vorleg. der fideicom., Rechte des Hauses Pfalz auf die Bayr. Lande, Zweibr. 1778, § 47.*



provinciāli Suevico fratres excludant patrem in bonis fratris non profectitiis (§ 11.).

## § 20.

Sed alia jam ex priori nascitur quæstio, nimirum, quæ ordine eis casibus, quibus jus successione ex communione, sive condominio competit, succedatur. Hoc loco ante omnia id damus, ponimusque, ab eis, qui legitime in communionem venerint, excludi eos, qui condominii participes non sint a), sive generatim, jus communio- nis in se spectatum prævalere jure sanguinis. At vero id proprie quæritur, quis inter condminos fervetur ordo, an inter eos, quorum condominium non nisi in jure sanguinis fundatur, lineæ tantum, vel in linea etiam gradus prærogativa valeat? Quæ quæstio ad successionem cognatorum tantum spectat. Ea præcipue de successio- ne feudali agitata est, de qua speciatim dicendi infra locus erit. Igitur primo loco utramque sententiam distin- cte exponamus. *Prima* est eorum, qui in successione de- scendentium & collateralium, linearum tantum rationem ha- bendam esse censent, ita, ut propior quidem linea vincat remotiorem, in eadem autem linea perpetuum obtineat re- præ-

a) Hac ratione nonnumquam remotior agnatus propiorem, extra-  
neus agnatus excludit.



præsentationis jus, neque unquam gradu propior remotio-  
rem excludat. Hunc succedendi ordinem stricto sensu vo-  
cant *linearem* (Stammfolge). *Altera* quidem admittit illam  
linearum prærogativam, ita ut qui cum defuncto sub eo-  
dem stipite proximo continetur, excludat eum, qui a remo-  
tiori descendit, in una autem eademque linea ad gradus  
prærogativam attendendum esse contendit. Hæc sententia  
in descendentibus quidem admittit repræsentationis jus, no-  
rioribus scilicet legibus introductum, non vero in collate-  
ralibus. Equidem posteriorem sententiam, quæ adhuc ex  
juris Longob. vel Romani principiis defensa est, ex intimis  
juris Germanici rationibus amplectendam existimavi. Supra  
scilicet demonstratum est, ex Legibus Germanorum dome-  
sticis propiorem succedere, excluso remotiore. Demonstrata  
est quoque ratio, qua Germani in computanda proximitate  
usi sunt, quæ plane in eam, quam secundam dixi, senten-  
tiam nos deducit. Cum vero in hac dissertatione præcipue  
de successionis feudalis ordine laboremus, animadvertendum  
est, nos hoc loco præcipue de successione allodiali eorum  
loqui, qui feudorum quoque capaces fuerunt, illustrium  
itaque & nobilium Germaniæ, de successione civicorum  
autem non esse adeo sollicitos.

## § 21.

His jam præmissis videamus, quibus argumentis primæ  
sententiæ fautores usi sint quidque ad ea sit respondendum.

Pri-



a) *Primum* speciosissimumque est, ex æqualitate condomini desumptum. Propiori scilicet, ajunt, non magis, quam remotiori condominium illud competere, adeoque si ex condomini jure succedatur: illum potiori jure non uti, Porro lineas proprie in communiōne esse, eas autem inter se æquales, nec una alteram remotiorem. Huic argumento id vitii inesse dixerim, quod petitionem principii vocant. Ponitur enim, non demonstratur, propiori & remotiori æquale jus competere. Naturae autem condomini contrarium non esse, si ordo successiōnis inter condminos fervetur, ita doceri potest, si observetur, quod & ipsi adversæ sententiæ fautores concedunt, non nisi extincta plane una linea ceteros condomini jure, ad successiōnem vocari, quamdiu autem in ea linea adsint descendentes, ab his sane jure condomini, sive id fortius, seu propius, seu immediatum malis vocare, excludi ceteras lineas. b) Quid igitur prohibet, ordinem quoque ratione proximitatis gradus observari, salvo condominio?

## § 22.

*Secundum* argumentum ita formatur: Aut condominium,

D 2 *in* aut

- a) Cum hæc quæstio præcipue in lite de successiōne Rhingr. Dhäueni agitata fuerit, utar argumentis der *gründlich. Ausführ. des Rheingr. Grumbachsb. und Rheingrafens. Erb- und Lebensfolgerechts in die Hälfte der erledigten Dbaun, Lande.* 1750. § 44. 199.
- b) Similiter in Ganerbinatibus propiores sunt, qui ex eadem familia descendunt, reliquis Ganerbiis, nec nisi una familia extincta reliqui Ganerbi pro modo condomini ad successiōnem veniunt. LEIB *von Ganerten* apud ESTOR, Kl. Schrift. P. II. p. 368. 381. 490. 491.



aut consanguinitatem esse unicum vel præcipuum tamen fundamentum successione. Cum vero ex hypothese, (quod et ipse dedi § 20.) qui sanguinis jure nititur, excludatur ab eo, qui condominii jure utatur: absurde utrumque principium conjungi, ita ut quod principale fuerit (scilicet condominii jus) accessorio (sanguinis scilicet) cedat. At vero in hoc nihil absurdi video, sanguinis quidem jus, si solum sit, vinci a jure condominii, utrumque autem posse etiam conjungi, ita ut cunctum condominii & sanguinis jus vincat solum condominii jus. Neque enim hoc principale, illud accessorium dicendum est. Nam ordo tantum inter ea observatur, ita ut, si desit, qui jure condominii succedere possit, succedat, qui jure sanguinis; ita etiam, si duorum condominium æquale sit, succedere tamen potest, qui jure sanguinis potior est, excluso altero.

## § 23.

*Tertium* argumentum ad eam proprie speciem pertinet, cum bona ratione usus quidem et fructuum divisa, ratione proprietatis autem & possessionis civilis in condominio sunt. Tale condominium supponit factam divisionem. Jam, inquit, præsumendum esse, eos, qui divisionem inierint, suæ posteritati quoque prospexisse, ita ut si aliquando una linea deficeret, cæteris æquis partibus ejus portionem accrescere vellent, neque admittere, ut ipsorum posteri forte a cæteris

ris



is excludantur. Hic vero de voluntate eorum, qui divisionem rei communis, quoad fructus scilicet & possessionem, inierunt, quæstio vertitur. Itaque si hi condominium sibi reservarunt, id egisse eos adparet, ut successionis jus sibi reservarent, de successionis ordine autem si nihil dixerint, juri se conformasse præsumendi sunt. Ut hoc argumentum uberius illustretur, tenendum est, divisiones initio factas esse sine reservationibus, adeoque post illas liberæ possessionum dispositioni obnoxias fuisse partes divisas. Qua ratione cum sæpe accideret, ut cognati a successione, quæ solo sanguinis jure nitebatur, ab extraneo, in quem pars divisæ alienata erat, excluderentur, tandem prospicere sibi didicerunt factis reservationibus, ne jura sanguinis inania essent. Ita non tam conservatum vetus condominium jus, quod plenam communionem continebat, quam novum natum est, quod tantummodo successionis commodum respiciebat. a) Cum tamen hæc res in voluntate dividendum posita fuerit: facile potuit fieri, ut ii peculiaribus pactis initis ordinem successionis talem efformarent, qualis ab adversæ sententiæ fautoribus describitur. b) Quæ ex successione feudali pertinentur argumenta, infra examini erunt subjicienda.

D 3

§ 24.

a) vid. C. C. HOFACKERI Jcti nunc Tubingensis diss. de origin. & factis success. ex jure primogen. Gœtt. 1771. § 11. 12.

b) Tale pactum in familia Rhingravium factum esse videtur.



Examinemus etiam argumenta Doct. FISCHERI, qui generatim ex pristino, quod apud Germanos obtinuisse statuit, rerum præcipue immobilium condominio, naturali ratione fluxisse successionem in stirpes, & ita obtinuisse scribit, ut in una eademque linea ultimo possessori, seu defuncto, extincta autem integra linea, primo acquirenti seu stipiti communi, itaque in stirpes succederetur, a) *Primum* utitur tritissimo illo proverbio germanico: *der Nächste zum Sippe der Nächste zum Erbe*. Abutitur autem in hac re ambiguitate vocabuli *Stamm*, per quod reddit antiquum *Sippe*. b) Sed nec id probari poterit; vocabulum *Sippe* stirpem, seu lineam notare, nec cuique art 3. spec. Sax. legenti dubium erit, eo certe loco *Sippe* non denotare stirpem, neque *Sippzal* linearum numerum. Nec recte explicari posset, quid sit *proximior stirpi seu lineæ*. Deinde utitur regula juris Germanici, partes (in divisione scilicet factas) eadem ratione debere coalescere, qua sint divisæ; quæ tamen regula gra-

a) c. l. p. 131. *Nach meiner Entwicklung ist die Stammfolge in Alloden und Leben einerley. Und zwar auf diese Art, daß bei dem Erbfalle in einer und eben derselben Linie in Rücksicht auf den letzten Besizer; bei Erbschung einer ganzen Linie aber in Rücksicht auf die Abstammung von dem ersten Erwerbber -- succedit, und so viele Linien, so viele Theile empfangen werden.*

b) vid. supra § 17. not. c).



32

35

tis hoc loco affumitur. c) Porro adducit aliquot leges statutarias, quibus inter descendentes repræsentationis jus stabilitur, scilicet privilegia civitatis *Witstock*. d. a. 1374. & Leges prov *Scania*. At ne verbum in utrisque de successione collateralium in stirpes, neque a jure repræsentationis inter descendentes stabilito ad hanc licet concludere, nec unum alterumque statutum particulare, præsertim recentioris ævi, nos moratur. Mirum autem, eum provocare quoque ad ea, quæ de gænerbinatu rustico Breidenbacensi apud *Estorem* leguntur. Ea enim tantum abest, ut saveant ipsius sententiæ, ut potius nostram inde haud infirmo fulciamus argumento. Aperte enim commentationis illius Auctor pro-

ximi-

c) c. l. p. 125. Allegatur quidem supra § 19, not. d). excitatus locus ex veteri documento; Sed quis non videt, ex verbis *von alder Deylonge und Wederzufalle* hanc regulam exsculpi non posse? Quid enim, si ex. gr. duo fratres dividant prædium commune, alter autem sine liberis decedat, ad alterum pars divisa redibit. Quis inde superiorem regulam efformabit? dicit Comes Johannes, castrum & arma *Dunen & Kirberg* fuisse olim inter suos & defuncti Comitis de Kirberg majores communia, postea divisa. Jam vero extincta linea Kirbergenfi ad se hereditate et communionis jure rediisse; pergit enim post verba superius excitata: *und als nu Wildegrave Otte von dodis vvegen aleganten ist, ane libes Lebenserben, und die Wapen von sinen altern und den mynen vertheilt waren, und nu uf mich vviderumben als von gemeinschaft und erbischaft mynre Hufravven vvegen an erjallen sint*. Ita vero respondebat, non ut ipse partem ferret cum agnatis forte propioribus, sed ut partim proprio; condominiumi scilicet jure, partim uxorio nomine, hereditario jure, cognatos plane excluderet.



*ximitatem gradus* inter ganerbios obtinere asserit. d) Ulterius novam plane significationem tribuit vocabulo *gradus*; id enim in monumentis mediæ ævi sæpissime non gradum consanguinitatis sensu juris romani, sed propius illud condominium significare asserit. e) Tandem ad jus feudale Longobardicum f) & consuetudines Longobardicas nos remittit, quibus scilicet totidem verbis dispositum esse ait, ut deficiente una linea omnes agnati succedant. Verba adducta ipsissima sunt Legis salicæ tit. 62. verba, quibus in fine adjicitur: *Quodsi nullus de istis personis fuerit, tunc quicumque propinquus fuerit masculus paterna generatione, ipse succedat.* Quis autem non videt, hæc æquivalere plane verbis Legis Salicæ: *quicumque proximior fuerit.* Præterea nec FISCHERUS nec alii sibi constant, cum in una eademque linea quidem gradus proximitatis rationem haberi volunt, extincta autem

inte-

d) Esfor Kl. Schrift. P. II. p. 368. sq. Et quidem plane computandi ratio Germanica obtinet. Ita enim ibi: worneben auch allein diejenige ex familia, welche an dem Orth, allwo die Güter gelegen sind, wohnen, & quidem communi stipiti proximiores, nebst ihrem Erbtheil der übrigen auswärtigen Erben Erbportionen in Brauch bekommen.

e) Provocat quidem ad probandam hanc significationem ad Leg. Scan. L. II. c. 1. Mitto, quod Leges istæ latina lingua non sint scriptæ; inspiciatur ipse locus apud FISHER. p. 144. sq. exscriptus; nemo puto, ei assensum præbebit.

f) quod argumentum infra excutiemus.



integra linea ad superstites lineas æquis partibus hereditatem redire. Nam nec idonea hujus diversi juris ratio reddi potest, & subest in vocabulo lineæ ambiguitas. Nam, si sint ex. gr. tres fratres, hi omnes cum stipite suo unicam constituunt lineam; si dividant bona communia, fiunt auctores inferiorum linearum, quarum una extincta, res redit ad reliquas (inferiores scilicet) vel unicam superiorem; Nec succeditur, nisi quatenus superstites ex eadem cum defuncto sunt linea. Denique nec satisfacit responsio, quam Dn. FISHERVS ad solvendam objectionem ex historia juris repræsentationis petitam affert. Quæcunque enim sit ratio, cur propior gradu excludat remotiorem, ea certe contra eum, quem propugnat, successionis ordinem militat: Neque, ut ipse videtur asserere, qui semel a propiori exclusus est, postea, si hic deficiat, in integrum quasi restituitur, ut jam cum gradu æqualibus succedat. Neque introductum inter nepotes (solos scilicet) jus successionis in stirpes g) argumentum sat idoneum præbet de successionem collateralium; neque ex unica lege, velut ex Legibus Scanicis ad universale jus Germanicum procedit conclusio.

§ 25.

Neque a sententia mea me dimovent, quæ ex aliquot legibus Germanicis, vel his affinibus contra eam adduci possent,

g) quod in plurimis locis seculo domum XVI. factum constat, vid. HOFACKER, c. 1. §74. not. n. E



sent, a) quod scilicet æquali jure ad successionem admittantur defuncti ex fratre vel sorore nepotes, patruum, matris, avunculi, materteræ, avus & avia patris & matris. Qui succedendi ordo autem cum non minus cum eo, qui linearis dicitur, quam cum eo, quem equidem secundum proximitatem gradus ex jure Germanico computatam observari posui, pugnet; huic objectioni excutiendæ diutius non immorabor; observabo tamen, eas leges præter unam b) omnes commode ita posse explicari, ut id tantum dicant, nullum esse discrimen sexus, nullum paterni maternique generis, itaque æquo jure succedere ex fratre & ex sorore nepotem, æquo jure patrum & matrum, patrum & avunculum &c. Præterea leges adductæ non ad canam vetustatem pertingunt, & quod maximum est, nulla ratio excogitari potest, qua talis successionis ordo schemati cognationis, quod exhibet Spec. Sax. applicari possit. Itaque, si vel maxime eæ leges peculiarem succedendi ordinem introduxerint: negari tamen nequit, communiorem germanis fuisse eum, quem supra descripsi c).

§ 26.

a) Leguntur ea apud laud. FISHERUM p. 133. fqq.

b) Eam autem ipsam inspiciendi facultas mihi data non fuit. Itaque fides fit penes LOISELIUM, qui ex statutis Parisiensibus patrum & ex fratre nepotem æquali esse gradu & æqualiter succedere ait.

c) Cæterum DR. FISCHERUS sibi ipse contrarius est, dum hoc loco proverbium: *je näher dem Sippe, je näher dem Erbe*, de successionis ordine,



## § 26.

In fine hujus sectionis subjungam unicum medii ævi exemplum, quo sententia nostra de successionis allodialis illustrium ordine egregie firmatur. Anno 1190. Comes *Theodoricus de Wied* castrum *Holebuche* ecclesiæ Colonienſi obtulit in feudum; In literis clientelaribus testatur *Philippus Archiep. Colonienſis*, id hoc pacto factum esse, ut idem Comes & uxor sua feudali jure a nobis & successoribus nostris receptum possideant, & omnes successores hereditarii ejusdem Comitis utriusque sexus firmiter tanquam allodium - - - & quod idem castrum a successoribus suis nulla possit occasione alienari, sed in cujus heredum suorum partem hereditatis devenit, a nobis vel successoribus nostris - - - recipiat. Et si forte is, cui idem beneficium castrum collatum est, propter aliquem excessum illud retinere demeruerit, qui proximus illi in cognationis linea fuerit, sine sexus acceptione, sicut prædictum, in dominium prænominati castrum succedat a). Apparet, servari hic successionis allodialis ordinem, & licet divisio contingat, reservari tamen condominium, nihilominus autem in casu successionis proximo deferri possessionem, seu dominium castrum.

E 2

SE.

ordine, qui ex sola gradus proximitate more romano computata determinatur, accipit, quod superius ad successionem linearem traxerat.

§ 26. a) vid. FISCHERS *Hochgr. Wied. Kanzl. Dir. Geschlechtveibe der walten Reichsländischen Häuser. Hensburg, Wied und Runkel, &c. Mannheim 1778. Urkund. n. XXVII. p. 39. sq.*



---

 SECTIO II.

*De ordine successionis feudalis.*

## § 27.

Hæc de successionis ordine in allodiis præmittenda diximus, ut eo rectius ferri possit iudicium, an in feudis novum successionis ordinem introduxerint vel Germani vel Longobardi. In hac autem sectione hunc tenebimus ordinem, ut jura Germanica a Longobardico separemus, de illis primo loco, de hoc deinceps exposituri. Animus autem non est, de ordine, quo feminæ forte in feudo feminino vel hereditario succedant, exponendi, sed in masculis & ordine agnatorum subsistet nostra tractatio.

## § 28.

Ipsa successio in feuda, quo ævo invaluerit, non opus est hoc loco disquirere. Sensim ea nata & firmata tandem Conradi II. temporibus. Ex ipsa autem ejus origine facile deducitur, eam initio tantum ad filios vasalli defuncti spectasse. Quod jus in feudis imperii tempore adhuc Cardinalis Hostiensis obtinuisse, ex notissimo ejus loco a) asseritur.

§ 28. a) ad tit. X. de feudis. „de consuetudine imperii non succedit, nisi filius descendens. Imo revertitur feudum ad Imperatorem, & ipse confert, cui vult. Sic vidi hoc, quando fui in Alemania, per proceres iudicatum.“



ritur. Tamque successionem legitimam fuisse, docet *Auctor vetus de beneficiis* b). Licet autem in feudis majoribus, Ducatibus puta, Comitatibus successio ipsa serius, quam in minoribus invaluisse videatur: id tamen utrisque commune fuisse videtur, ut non nisi filii vasalli defuncti succederent.

## § 29.

Sed & ipsa filiorum successio non uno gradu ad hodiernam faciem pervenit. Initio enim, uti par est credere, si vasallus plures reliquisset filios, non omnes una in feudum paternum succedebant, præsertim in feuda dignitatum, sed vel dominum ex filiis unum elegisse, vel patrem illud uni assignasse, vel fratres divisione facta (in primis si forte pater plura haberet feuda, vel tamen præter feudalia bona etiam allodialia) uni feudum reliquisse constat a); tandem in

E 3

per-

b) c. 1. § 24. Consentit Jus F. A. c. 43. § 2. *Es erbet niemand zu recht leben, wenne der Vater uf den Sun, das heisset erbeleben und lebenserben.*

§ 29. a) Sat clara hujus juris vestigia exstant in veteribus de jure feudorum libris. *Vetus Auctor de beneficiis* cap. 1. § 24. *Pater hereditat in filium possessionem, sicut & beneficium; propter quod non eget filius, ut de mandari bona patris sibi faciat a domino.* id est, ut ex § 21. apparet, non eget filius, quemadmodum, qui expectativam tantum impetravit, § 19. *ut vadat ad dominum & roget, ut constiteatur de concesso sibi beneficio.* Id. § 45. *Patris post obitum filius intra sex hebdomadas & annum pro patris beneficiis domino suum præbeat hominum.* § 72. *Homo habens filium, si moriatur infra suum beneficiale terminum, cum adhuc beneficia non susceperit, filius beneficio non carebit.* Licet autem jam adeo firmatum



perpetuum jus conversum esse, ut filii vassallorum omnes investituram a domino possent petere. Et in feudis qui-

dem  
 tum fuerit successionis jus filiorum, dominus tamen non tenebatur nisi unum investire, nimirum eum, quem ipsi filii unanimiter elegerissent. Id. § 75. Non nisi ab uno domini filio beneficium suum suscipiat homo, quamvis pluribus sit concessum, e converso dominus tantummodo unum hominis inbeneficiabit filium. § 76. Cum homo mortuus fuerit infra terminum filiorum, in arbitrio sit eorum, quis inbeneficietur a domino, unanimiter vero si unum non transmiserint ad dominum, dominus inbeneficiet, quem illorum velit, qui beneficium intra suam terminum secundum jus petierit. Si secundum libitum, & non secundum jus inbeneficiet dominus unum ex filiis, nil nocet aliis. add. § 78. 79. Poterant tamen domino volente omnes simul investiri. Id. Auct. § 83. 84. Plures possunt uno inbeneficiari beneficio, ita quod simul illud suscipiant, & aequale jus in hoc habeant, quamdiu simul manserint. Nec postea nisi unus renovare tenebatur: § 85. Si plures uno inbeneficiati beneficio, & non separati fuerint, domino mortuo non nisi unus illud sequatur in alium dominum. Ea autem simultanea investitura condominos eos faciebat. § 84. Postquam aliqui fuerint beneficio predicto modo inbeneficiati, nullus ipsorum singulariter alicui potest inde aliquid concedere, quamdiu illud non dividerunt inter se. Divisione autem sine licentia domini facta interibat condominii jus: eod. § 84. Si autem voluerint ab invicem separari absque licentia domini dividant inter se secundum libitum totaliter concessum beneficium; sed postea illorum nullus in parte alterius aliquid jus habebit, cum alter obierit, nisi susceperit a domino expectationem in beneficio. Similia plane habet I. F. S. art. 21. 22. 29. 31. 34. apud SENKENB. J. F. A. cap. 16. § 3. cap. 58. § 4. lqq. cap. 60. 61. Diferte tamen jus Alam. senioreum fratrem a domino investiri debere asserit, c. cap. 61. Unde forderit ein Mannes sun sin Lehen, der zu sinen tagen komen ist an sinen Herren, und het der me bruder, die dennoch under iren Joren sint, der muß dem Herren geloben, so sine bruder zu iren tagen koment. das sie in darumbe ertz ansprechen, dieviele das der bruder lebet. So die bruder zu iren tagen koment, so forderent sie das lehen an den herren, - - - Also das stott an des



dem dignitatum ob eorum peculiarem indolem diutius servatum esse videtur, ut unus tantum plerumque secundum prærogativam ætatis succederet b); in militaribus autem maturius valuisse, quod supra diximus, successionis principium, ut dominus teneretur omnes unius vasalli filios investire, in Germania certe c). Hujus autem rei duplex erat ratio; aut enim sponte dominus omnes de feudo communiter possidendo simul investiebat d), aut illi unum do-

mino

eltesten bruders vval, ob er vryll, das sine bruder das lehen mit Ime entphohent, oder nüt, das mag er iun oder nüt: So ist es an des Herrn vval, das er nüt vwan dem eyltesten das lehen lit von dem rechten, cf. c. 52. § ult. Consentit quoque JUS CÆS. P. III. c. 29. Wo lude sint, dy sollen vvißsen, das dy gemeynen Lehin, das se dy edelsten han zu enphonde den andern allen noch der Keyßers rechte, das se ez gevvert sin, sint in dez riches rechte stet geschribin das ungeteylte gut mag der erste enphain von dem Keyßer. Præterea docet nos JUS CÆS. P. III. c. 11. divisionem, si alter ad eam provocet, ab altero reculari non posse.

b) vid. cit. cap. 29. JUR. CÆS. & cf. *Magnif. HOFACKERUM* c. 1. § 15 — 51. qui hanc rem præclare exposuit.

c) Hujus quidem rei obscuriora exstant in legibus citatis vestigia. Satis tamen convincunt, quæ tam in *VET. AUCT. de benefic.* quam in J. F. S. & J. F. A. II. not. a) all. de cautione a fratre investiendo præstanda, quæ porro in J. F. A. c. 52. § ult. & cap. 61. § 1. de eo casu leguntur, si frater senior decesserit; quo casu dominus tenetur reliquos investire. Extra Germaniam alicubi, velut in *Nor-mannia* perpetuo jure introducta primogenitura, vid. *Leg. Norm. Lib.* II. c. 26. § 12. sqq. apud de *LUDEWIG Reliq.* T. VII. p. 209.

d) *VET. AUCT. de Benef. c. 1. § 83. Plures possunt inbeneficiari uno beneficio, ita quod simul illud suscipiant, & æquale jus in hoc habeant, quam*



mino investendum offerebant, reliquis tamen in communione plena feudi remanentibus e). Illo casu si postea feudum divisissent, actum erat de successione jure, nisi noviter sibi impetrassent a domino investituram f). Hoc autem casu, cum tamen saepe variis de causis divisiones placerent, quod in allodiis ante observatum fuit, ad feudum etiam tractum est, ut reservato qualiscunque condominiumi jure jus succedendi sibi reservarent g). In hac specie autem non semper opus videbatur simultanea investitura, ita peragenda, ut omnes condomini, etiam non possessores eam

*quandiu suum manserint. J. F. S. c. 34. Man mag vil brudern ein gut lichen &c. cf. J. F. A. c. 16. Jus CÆS. c. 12. c. 31.*

e) vid. sub lit. c) not. præc. Jus CÆS. cit. c. 29. verba: *den andern allen.*

f) VET. AUCT. de benefic. § 84. *Si autem voluerint ab invicem separari absque licentia domini, dividant inter se secundum libitum totaliter concessum beneficium. Sed postea illorum nullus in parte alterius aliquod jus habebit, cum alter obierit, nisi susceperit a domino expectationem in beneficio. J. F. S. c. 34. J. F. A. c. 16. § 2. c. 65. Jus. CÆS. c. 12. 25. 31.*

g) vid. J. J. REINHARDS *Ded. die Gemeinschaft, ein wahrer Grund der Erbfolge und der einzige Grund der Lebensfolge.* 1755. n. 1. p. 4. 15. Gött. recht. Bed. die Rheingr. Dhann. Landesfolg. betreff. p. 36. 37. n. 3. perill. G. L. BOEHMER. de feud. comm. divis. § 8. Talis reservatio de feudis divisis facta d. a. 1213. occurrit apud de GUDEN. Cod. Dipl. T. 1. p. 426. ubi: *Quicumque vero eorum (Nob. de Schardenberg.) decesserit absque herede, ad quem de jure transeat feudum; ejus feudum ad superstitios fratres revertatur.*



eam impetrarent, sed sufficiebat, si vasallus possessor nomine ceterorum vel expresse vel tacite comprehensorum fuisset investitus h). Ita vero factum est tandem, ut etiam in Germania valeret regula, in primi acquirentis investitura comprehendi omnes ejus descendentes i), hac tantum sub limitatione, si quocunque modo communionem seu condominium servassent. Condominium itaque, meo quidem judicio, non quidem pro *fundamento* omnis successionis feudalis germanicæ ponendum est; est tamen *conditio sine qua non*; ipsum autem succedendi jus ex primi acquirentis investitura, postquam legibus cogeretur dominus filios vasalli investire, derivatum est; conservari vero potuit & debuit facta divisione per reservationem condominiumi.

## § 30.

h) de pleno condominio nullum plane est dubium, quin hoc jus obtinuerit. vid. præter supra allegata *der Urteilsbrief des Badischen Manngerichts* von 1416. ibi: *und soll auch die Güter mit meh dan einer empfaben und tragen, allievreil se die Guther in Gemeinschaft innhanden und besizend.* apud REINHARD. c. I Beyl. n. I. Hoc itaque analogiæ juris plane est consentaneum, ut idem facile admitti potuerit etiam in condominio minus pleno. In hunc finem videntur in divisione talia pacta inita esse, quale inter *Wolfgangum & Rupertum* Com. Pal. ad Rhenum anno 1543. in initum assert *SCHILTERUS* de simultan. invest. Pr. Imp. c. II. § 4. ut scilicet dividendum alter vel uterque pro se & altero investituram feudorum communium impetraret.

i) Quod non obscure jam ad ipsa *Conradi Salici* tempora refert *Wippo* in notissimo loco: *Antiqua beneficia parentum nemini posterorum auferri sustinuit.*



His præmissis ad ipsam de ordine successionis questionem devenio. Jam cum facta divisione plena omne evanesceret successionis feudalis jus: frustra de ordine ejus hoc casu quæritur. Superest igitur alter, quo condominium servatum erat. Quod cum sit vel plenum, vel minus plenum: de utroque videndum est. Illo casu, quo scilicet feudum tam quoad proprietatem, quam quoad fructus communiter possidetur, ex natura condomini germanici sequitur, uno condominorum defuncto nullam aliam contingere mutationem, nisi quod jam ad pauciores res pertineat, fructusque a paucioribus percipiantur, quam si successionem vocare velimus, id sane nemine invito fiet. Quodsi tamen liberos reliquerit defunctus, hi, quippe quibus jure sanguinis communicatur condominium paternum, succedunt quasi in locum sui patris, hoc est, ipsi quoque jam feudum cum reliquis commune habebunt a). Quodsi autem quis nullis relictis liberis decedat, reliqui non tam succedent in jus ipsius, sed id tantum, quod antea cum eo commune habuerunt, jam soli habebunt. Hic itaque, quomodo de ordine succedendi quæstio esse possit, non video. Quodsi tamen hujus condominiumi

§ 30. a) J. F. S. cap. 34. *Die wile auch sie (die Brüder) das gut zusammen haben, stirbt ir einer, sein Kind tritt in des Vaters stat, und behelt sein gut gemeine mit den wetttern, als is sein vater hat.* J. F. A. cap. 65. § 3



dominii aliquando pertæsi essent, posset quæstio oriri, qua ratione res communis esset dividenda. De qua cum leges nihil definiant, si pacta quoque deficiant, ex sola condominii notione respondendum est. Quod igitur, cum omnibus æque competat, nulla alia ratione fieri potest divisio, quam in capita b).

## § 31.

Itaque supereff tantum casus, quo divisione quoad possessionem naturalem & usufructum inita, id est, assignata cuius condominorum parte, reservatum tamen est condominium, seu communio proprietatis, adeoque saluum est succedendi jus. Ita vero communionis commoda retinent, incommoda amovent dividentes. Jam vero, cum, quod supra § 21. observavimus, ex communionis notione demonstrari nequeat ordo succedendi, qui linearis dicitur, neque proximitatis graduum rationem habet: eundem nec in feudis admitto, sed in ea potius sum sententia, jure Germanico non alium esse successionis in feuda, quam in allodia ordinem, supra nimirum demonstratum, ut qui secundum Germanicam computationem proximior sit, ceteros remotiores, salvo tamen eorum condominii jure, excludat.

## F 2

## § 32.

b) Illustrari hoc potest ex ordine succedendi, quo in Saxonia omnes simultanee investiti in capita succedunt, nisi aliud actum sit. CARPZ. *Jpr. for.* P. III. cap. 29. def. 12. 13. J. J. MASCOV, de Jur. feud. cap. X. § 40.



Quemadmodum autem supra § 21. sqq. ad argumenta adversæ sententiæ, quæ ad utramque successione[m], tam allodiam, quam feudalem spectant, respondere conatus sum: ita hoc loco ad ea respondendum est, quæ vel ad successione[m] feudalem peculiariter spectant, vel ex jure feudali desumuntur a).

Primo loco respondebo ad illud speciosissimum argumentum, quod apud all. PREUSCHENIUM fest. 1. §. 5. profertur & ita habet: successione[m] in stirpes naturæ feudorum convenire, propterea quod omnis successio feudalis regulariter modo ad primi acquirentis descendentes spectet, hique omnes idem, (scilicet ex investitura primi acquirentis) proprium, (providentia majorum, non beneficio ultimi Vasalli quæsitum) et æquale jus habeant. Possent concedere, hunc successione[m] ordinem naturæ feudorum convenire, id est, non contradicere, sed concedi non potest, eum unice conveni-

a) Exposita sunt hæc argumenta in supra alleg. *De d. Gründl. Ausf. des Rheingr. Grund. und Rheingrasenst. Erb- und Lehenf. Rechts Sc. § 48 — 54.* cui jungenda altera: *die Gemeinschaft ein wahrer Grund der Erbsfolge Sc. & perill. G. L. PREUSCHENI, viri mea laude longe majoris, rechtl. Ausfüh. daß die Lehenfolge der Seitenverwandt. in theilbaren Leben nach den Stämmen und nicht nach dem nähern Grad zu beurtheilen sey.* Francf. 1751. & in *Seltz. Jur. Publ. nov. P. 35. 38. 39. 40. I. & III. Abtheil.*



venire, quod tamen nec dixit PREUSCHENIUS. Porro nec dubium habet, quod feudi successio ad descendentes primi acquirentis tantum spectet, quod scilicet omnes alii ab ea excludantur. Concedam quoque, omnibus *idem*, id est, ex eodem fundamento, omnibus *proprium* jus competere. At nego quam maxime, omnibus *æquale* jus competere, seu ut explicat PREUSCHENIUS, nullum habere plura, nullum fortiora fundamenta. Ut probet hoc, recurrit ad identitatem juris. At vero hæc consequentia non procedit, cum *idem* jus & æquale jus sint diversa, simili ferè ratione, qua mathematici similia & æqualia distinguunt. Nèque video, quid impediat, quo minus, qui eodem jure utuntur, ordine tamen successivo eo fruantur, ordo autem determinari possit per proximitatem gradus, eaque proximitas contineat rationem inæqualitatis juris. Si vero ulterius quaeratur, cur proximitas inæquale jus faciat, respondeo, id esse ex instituto Germanorum a successione allodiali ad feudalem tracto, cujus rationes etiam si reddi non possent, sufficere tamen deberet facti veritas. Neque talem inæqualitatem jure positivo induci juri naturali repugnare a) crediderim, cum li-

F 3

a) PREUSCHENIUS scilicet jus successionis in stirpes jure naturali fundatum asserit; Equidem non contendam, an generatim successio juri naturali innitatur, licet negativam amplectar sententiam; sed nec concessa affirmante sententia ad jus successionis in stirpes jure conclusi existimo.



ceat jure naturæ rebus pro diversis finibus diverso uti modo. Tandem vero nec si concederetur illa juris æqualitas, successio in stirpes inde posset elici, sed potius ad successionem in capita sine distinctione graduum esset deveniendum, cum argumenta pro probanda æqualitate adducta, non pro stirpibus, sed pro capitibus militent.

## § 34.

*Secundum* argumentum simile est ei, quod supra § 22. excussimus. Et quemadmodum ibi non nisi condominium pro fundamento succedendi in allodiis venditatum est: ita hoc loco non nisi simultanea investitura pro fundamento succedendi ab adversariis agnoscitur, unde colligunt, nullum plane respectum fieri ad cognationem, itaque nec ad cognationis gradus. Similis igitur est etiam nostra responsio ei, quam supra dedimus. Agnoscimus quidem simultaneam investituram, sive potius condominium, quod illa demonstratur conservaturque, pro fundamento juris succedendi, ita ut ea deficiente deficiat etiam succedendi jus; probe tamen statim observandum est, unde illud condominium, & jus ad simultaneam investituram descendat. Negari enim nequit, descendere illud ratione descendentium primi acquirentis non alia ex causa, quam ex ipsa primi acquirentis investitura; neque prohibere posse dominum feudi, quominus primi acquirentis descendentes in communiione vel plena



plena vel minus plena maneant, neque negari ab eo hoc casu posse simultaneam investituram a); itaque tantum abesse, ut vel simultanea investitura vel ipsum condominium solum & ultimum sit successionis fundamentum, ut potius id ipsum condominium & simultanea investitura non ab alio pendeat fundamento, quam ab investitura primi acquirentis, adeoque sanguinis jure ad ejus descendentes transeat, modo ne ipsi facto contrario, nimirum divisione plena huic communioni juri ex ea quaesito renuntiaverint. Cum ergo ipsum quoque jus succedendi magis a sanguine & natura investituræ feudalis, mediante condominio, vel simultanea investitura pendeat: obscurum esse nequit, fundamentum quoque *ordinis succedendi* non solum a sanguine peti posse, sed et peti debere, cum condominium & simultanea investitura quemvis admittant ordinem. Neque obstat his, imo confirmat potius, quod et extranei in condominium & simultaneam investituram possunt recipi; hi enim jus succedendi æque ac primus acquirens ex contractu feudali, accedente tamen consensu vasalli possessoris, acquirunt, succedendi tamen ordo plane a pacto cum principaliter investito pendet; si vero nihil actum sit, eo demum casu simultanee investitus ad successionem vocatur, si principaliter investi-

§34. a) Inde sine dubio ortum traxit jus vasallorum Saxoniorum, offerendi simultanee investendos.



vestitus ejusque descendentes defecerint b), uti in Ganerbinatibus, pactisque confraternitatis fieri videmus. Itaque nemo negare potest, inter condominos & simultanee investitos, qui possessione naturali & usufructu destituti sunt, observari tamen aliquem succedendi ordinem; unde nec a condominio & simultanea investitura ad æqualem plane succedendi ordinem procedit conclusio. Rursus autem notandum est, etiam hoc secundo argumento, si id procederet, non successionem in stirpes, sed potius successionem in capita, nulla nec gradus nec stirpis prærogativa, evinci.

§ 35.

Succedant *tertio* ea argumenta, quæ supra laudatus PREUSCHENIUS a) pro evincenda ex jure Germanico successionem in stirpes adduxit. Primum est, quod recurrit, successionem feudalem esse tantum successionem descendentium. Cujus ambiguitatem jam supra deteximus. Porro obvertit constitutionem Electoris Saxonici b), qua fratris filii jure repræsentationis in feudo admittuntur, quaque nullum dicit apertius inveniri de eo, quid olim in Germania juris fuerit, testimonium. Equidem vero nullum majoribus

b) de SENCKENBERG in *prim. lin. jur. feud.* § 250. *Accipiunt simultanee investiti jus, vasallo possessore ejusque linea extinctis, in feudo succedendi.*

§ 35. a) c. I. Sect. II. § 19. — 27.

b) P. III. c. 29.




ribus obnoxium esse dubiis putaverim. In allodiis quidem jure Saxonico jus repræsentationis cessare notissimum est; cur igitur in successione feudali illud admittitur? Dicit Elector, Scabinatus antea dissensisse, utrum Jus prov. Saxonicum (id est Spec. Sax. Lib. I. art. 3.) de solis heredibus allodialibus, an de feudalibus quoque fuerit intelligendum? Cum tamen plerumque in feudis admissi fuerint ex fratre nepotes jure repræsentationis, eam se consuetudinem confirmare voluisse. Ea autem consuetudo orta sine dubio ex eo, quod juris romani doctores jus provinciatæ Saxonicum tamquam de solis heredibus allodialibus disponens, ceu jus statutarium stricte interpretarentur, adeoque successione feudalem ex jure communi, Romano scilicet & Longobardico æstimarent, cui explicationi porro favere videbatur simultanea, qualis in Saxonia usu venit, investitura. Cur enim, si mens Electoris fuisset, jus vetus Germanicum de successione in stirpes conservandi, id non etiam ratione ulteriorum agnatorum servatum est? Cur tandem in Saxonia, si ex sola simultanea investitura res æstimetur, nec graduum nec stirpium ratio habetur? Ulterius in feudis primogenituræ obnoxii gradus non respici a germanis, ait doctissimus Auctor. Quod argumentum infra illustrabimus. Sed etiamsi id concedamus, inde tamen ad feuda divisioni

G

obno-





obnoxia non procedit argumentatio, nec in his ad gradus respexisse germanos. Et cum tandem verba *Gervasi Tilberiensis* c) in suam trahit sententiam, ea sane captanda sunt, si ita explicare velis, ut Henricus VI. Imp. non generatim in feudis hæreditarium succedendi jus inducere voluisse, sed tantum ordinem succedendi e lineari in gradualem immutare voluisse dicatur: quod sane invita omni historia traderetur d). Quod de recessu Imperii de anno 1529. ait, eum probare, antea in Germania obtinuisse successionem in stirpes, id plane retorquere licet. Neque enim de successione in stirpes universim, sed tantum de jure nepotum ex fratribus patruo in stirpes succedendi erat controversia, quæ cum jure Romano non esset aperte decisa, altercationibus Doctorum juris ansam dederat.

§ 36.

Tandem exemplis ex historia successionum in familiis Germaniæ illustribus defuntis res agitur a). Quæ cum singu-

c) *Hic (Henricus VI.) legem instituit apud Teutones, ut militia more Gallorum & Anglorum successionis jure devolventur ad proximos cognationis (agnationis) gradus. Omittit autem statim sequentia verba quæ sensum plane dubium non relinquunt: cum antea magis pendebant ex principis gratia.*

d) *Vid. omnino perill. G. D. HOFFMANNI Iudicia eruditorum & opuscula historicorum &c. de Henrici VI. conatu &c. Tubing. 1757.*

§ 36. a) *vid. all. Ded. § 50. — 54. PREUSCHEN c. sect. III. § 28. fq.*



fingularem & prolixiorem mereantur discussionem, quam  
 hujus dissertationis angusti ferunt limites, singula hoc loco  
 examini subijci non possunt. Itaque generatim tantum mo-  
 neo, pleraque, quæ pro successione illustrium lineali affe-  
 runtur, esse recentioris ævi, quam ut inde de antiquo jure  
 Germanico aliquid tuto possit concludi. Ea autem ideo  
 non probant, quia introducto jure feudali Longobardico  
 invaluit apud multos opinio, id successioni lineali favere,  
 quæ opinio, æquitatis etiam specie se commendans, in pa-  
 cta familiæ sese insinuavit. Deinde nec desunt plura tam  
 antiqua, quam recentiora exempla successione gradualis,  
 quorum quædam supra adducta sunt, alia ipse allegat PREU-  
 SCHENIUS b). Referenda huc præcipue quoque ea, quæ  
 ibi etiam, ubi servatur simultanea investitura, gradus præ-  
 rogativam obtinere probant, velut de Hassia testatur ESTOR c)  
 de terris Brunsvicensibus de SENKENBERG d). Tandem ne-  
 que desunt exempla litterarum investituræ veteris ævi, quæ  
 de ordine succedendi secundum gradus proximitatem testan-  
 tur e). His omnibus probe expensis accedendum puto sen-

G 2

tentia


b) c. L. §. 59. sqq.

c) Klein, Schrift. P. I. n. 2. c. 2.

d) de Feudis Brunsv. & Luneb. § 29.

e) ex. gr. apud GUDEN T. I. p. 570. d. a. 1242. T. II. p.  
 1131. n. 193. d. a. 1355. apud G. L. BOEMMER Obs. Jur. Feud.  
 VIII. § 10. d. a. 1273. 1282.





tentiæ perill. G. L. BOEHMERI, etiam quoad feuda illustrium, eum scilicet successione ordinem, quo non proximitatis, sed æqualis linearum ratio habetur, in nonnullis familiis obvium, pæcis tantum & observantiæ familiæ deberi.

§ 37.

Expositis, quæ de fati ordinis succedendi in feuda ex legibus Germanicis domesticis communibus eruere licuit: restat, ut ejus etiam juris, quod hodie in Germania in subsidium receptum est, origines investigemus, ejusque sententiam declarem. Jus feudorum Longobardicum in quam plurimis uti quidem satis constat, articulis, a jure feudali Germanico recedit, neque tamen ita, ut non multa quoque sint, in quibus conveniant, cujus rei ratio tam in natura feudorum, quam in eo etiam quærenda esse videtur, quod Longobardi, quippe origine Germani, jus suum feudale ad mores Germanicos, quemadmodum ipsi Germani sæpissime accommodaverint. Cum tamen Longobardi omni ævo multa quoque ex Romanis legibus in suos derivarint a), & præcipue libri feudorum Auctores & Compilatores romana jurisprudentia probe fuerint innutriti, imo Imperatores in constitutu-

§ 37. a) Id acute, ut solet, exposuit doctissimus Dn. Prof. D. HOCHSTETTER in thesibus Juris feudalis anno 1778. publice in Academia Militari Stuttgartiæ defensis.



stituendis Longobardis legibus juris Romani doctores in consilium adhibuerint: mirandum sane non est, si in jure feudorum Longobardico multa ex jure romano translata reperiantur; & perpetua fere comparatio juris civilis & feudalis instituat.

## § 38.

Origines successionis feudalis gradusque, quibus ad hodiernam faciem pervenit, sat luculenter exponit ipse feudista a). Nos cum de ordine tantum successionis solliciti simus, missis reliquis ad hunc attendamus. Jam ante *Conradi Salici* tempora successionis quoddam jus usu ipso invaluerat, ita tamen restrictum, ut non nisi filius vasalli defuncti ad id posset aspirare, ex pluribus autem forte filius non nisi is, quem dominus elegerat, b) Hoc successionis jus tam alte jam inhæserat vasallorum mentibus, ut id sibi degnegari gravissime ferrent. Itaque cum *Conradi II.* Temporibus archiepiscopus Mediolanensis vasallos durius haberet, qua in re non solum ceteri vasalli, sed domini jus suum agi crederent, a lite ad arma & prælia adeo ventum est. Quibus rebus auditis *Conradus* in Italiam profectus Comitibus *Papiae* habitis pacem restauravit, & ne futuris

G 3

li-

§ 38. a) I. F. I. § I. &amp; 3.

b) c. l. § I. — Sic progressum est, ut ad filios deveniret (feudum): in quem scilicet dominus hoc vellet, beneficium confirmare.



futuris litibus superesset materia c), de jure vassallorum ce-  
 leberrimam illam constitutionem edixit, cujus insignis pars  
 est illa, quæ de successione in feuda disponit. Ea autem  
 ita habet: *Præcipimus etiam, ut, si aliquis miles, sive de majoribus  
 sive de minoribus, de hoc seculo migraverit, filios ejus beneficium te-  
 nere. Si vero filios non habuerit, & aviaticum ex masculino filio ve-  
 liquerit, pari modo beneficium habeat, servato usu majorum vassalla-  
 rum in dandis equis & armis suis senioribus. Si vero forte aviati-  
 cum ex filio non reliquerit, sed fratrem legitimum ex parte patris,  
 & si seniore[m] offensum habuerit, sibi vult satis facere & miles  
 ejus esse, beneficium, quod patris sui fuit habeat.* E quibus ver-  
 bis si cum narratione feudistæ comparetur apparet, jam ante  
 Conradum filios vassallorum primi gradus jure ipsa observan-  
 tia obtento, licet lege nondum firmato, exegisse a dominis  
 successionem in beneficia, ulterius autem a Conrado obtinuisse  
 vassallos, ut & nepotes (de quibus forte dubitatum fuit) de-  
 ficientibus scilicet filiis avo succederent. Fratres etiam de-  
 functi jam ante constitutionem hanc admissi videntur, nisi  
 tamen, ut ait Conradus, seniore[m] offensum habuerint. Itaque  
 & hanc dubitationem tollit, constituitque, ut frater defuncti,  
 si Seniori satisfecerit, possit feudum acquirere. De ulterio-  
 ribus

c) Verba ipsa constitutionis: *ad reconciliandos animos seniorum & mi-  
 litum, ut ad invicem semper inveniantur concordēs.*



ribus vero agnatis nihil in constitutione Conradina legitur d).

§ 39.

Quamvis autem in promptu sit, judicare, constitutione illa Conradina in perpetuum constitutum esse descendantibus primi acquirentis per hujus investituram succedendi jus a); equidem tamen non crediderim, dominos feudorum eam passos esse ad alios etiam, quam lege ipsa expressos extendi. Movet me partim constitutio Lotharii b) partim verba feudistæ c).

§ 40.

Ulterius tamen progressa est feudalis successio ad fratrum filios, & fratres patris. Idque expressum constitutione Lotharii II. a); ad quam melius intelligendam sequens schema formandum esse videtur:

d) quamquam feudista eam ad fratris quoque filios extendat. J. F. I.  
§ I.


§ 39. a) I. F. 14. § I.

b) I. F. 19.

c) I. F. I. § 3.

§ 40. a) Dudum enim explosa est eorum sententia, qui Lotharium I. hujus constitutionis auctorem perhibent. Cujac. de feudis ad h. l. & Struv. Synt. Jur. feud. c. I. tit. V. n. 3.





*Si quis miles (1) mortuus fuerit, sine filio masculino (2) & nepotem reliquerit (3) in beneficium avi (1) in patris (2) vicem succedat. Et si hic (3) deest, & (1) fratrem (4) reliquerit b), in beneficium patris (7) ipse (4) succedat. Et si filius fratris (5) mortuus fuerit, frater patris (6) in beneficium avi (8) defuncti (1) succedat.*

De hoc itaque tempore loqui videtur libri feudorum Auctor c).

#### § 41.

Neque tamen in his limitibus substat, sed tandem eo extensa est successio feudalis, ut in masculis descendentibus in infinitum obtineat, in venientibus ex latere autem usque

b) Sic apud Cujacium legitur, altera vero lectio, se: *& si heredem & fratrem reliquerit, eundem præbet sensum.*

c) I. F. 1. §. 3. *Hoc quoque sciendum est. quod beneficium ad venientes ex latere ultra fratres patruales non progreditur successione secundum usum ab antiquis parentibus constitutum.*



usque ad septimum geniculum sit usurpata a), imo usque in infinitum b).

§ 42.

Ita vero secundum hætenus exposita his gradibus femin omnibus a primo acquirente descendentibus datum est *succedendi jus*. Iisdem legibus determinatur etiam succedendi *ordo*. Et quod quidem ad filios vel primi acquirentis, vel cujuscunque feudi possessoris attinet, nullum est dubium, quin ex quo tempore successione jus ipsis datum est, primi fuerint in successione a). Quod ad nepotes attinet, an jure repræsentationis hi cum patruis successerint initio, quaeritur? Equidem in ea sum sententia, ex mente constitutionis Conradinæ & Lotharianæ nepotes tum demum successisse, cum defunctus filios non reliquerit. Verba enim ita concepta sunt. *Filios non habere, sine filio mortuus esse*, is tantum dici potest, qui nullum habet. Postea autem introductum esse jus repræsentationis ita, ut nepotes in locum patris cum patruis succederent, evincit I. F. 8. neque dubium est, novo jure etiam, cum soli fuerint nepotes, eos

a) I. F. I. § 2.

b) II. F. 31.

§ 42. a) Const. Conrad. I. F. 19. I. F. I. §. 1. I. F. 8. pr. II. F. rr. pr. nisi forte vassallus culpa feudum amiserit. II. F. 31.



eos in stirpes, non in capita succedere, licet de hac re expressus locus non existet. Id nimirum repræsentationis juri Longobardis ignotum sine dubio debetur juri Romano.

## §. 43.

Ex eadem successionis feudalis historia intelligitur, *ascendentium* in feudo nullam esse successionem a) quod & expresse habent textus b). Et licet dentur casus, quibus ascendentes succedunt, ii tamen nos non morantur.

## § 44.

Itaque dubium non est, deficientibus liberis ad collaterales, seu agnatos, eos scilicet, qui a primo acquirente descendunt, feudi successionem pertinere. Quo ordine autem ad eos veniat, ingens est controversia. Fratres quidem omnes alios agnatos vincere, nemo est, qui neget; his autem jungendos esse fratris prædefuncti filios, clara verba juris feudalis Longobardici tradunt a) quamquam id initio obtinuisse non crediderim. Fratribus autem non exstantibus prima quæstio est de

§ 43. a) Numquam scilicet ulterius indulta est successio in feudo, quam ut id ad primi acquirentis proximos heredes, id est liberos perveniret. Essentia enim feudi non repugnat, quo minus ad quoscunque heredes possit transire, quemadmodum ex pacto hereditarium potest fieri.

b) II. F. 50. 84.

§ 44. a) II. F. II.



de fratrum filiis. Neque cum his defuncti patrum concurrere quisquam contenderit, partim ob verba legis Lotharianae b), partim aliis ex fundamentis. Aliqui in hac re utuntur subsidiaria auctoritate juris Romani c). Equidem vero rectius hujus rei fundamentum ex successione lineali & recte intellecto textu II. F. 59. peti putem, quacum hoc loco quoad ipsam decisionem quidem, non vero quoad fundamentum decidendi amice conspirat jus Romanum.

## § 45.

Cæteri igitur omnes agnati sub communi nomine *agnatorum ultiorum* a) comprehensi, quo ordine veniant, in diversas abeunt juris feudalis interpretes sententias. Plurimi quidem linearum aliquam prærogativam agnoscunt, hætenus, ut qui cum defuncto ex eadem sint linea, reliquos omnes excludere dicant. Ex eadem linea, id est, qui cum defuncto eisdem proximo stipiti communi subsunt b). Itaque quam diu

H 2

EX

b) I. F. 19.

c) scilicet Nov. 118. c. 3. BOEHMER Princ. jur. feud. § 142.

## § 45. a) II. F. 11.

b) Hæc vera est *lineæ* idea in successione feudali. Ceterum cum *linea*, sive collectio personarum, quæ comprehenditur persona, cum omnibus ex ipsa descendentibus, pars esse possit alterius *lineæ*, qua ratione supra *lineas* in superiores & inferiores distinximus facile potest ambiguitas & obscuritas sermonis oriri.



ex fratribus defuncti supersunt masculi, hi succedunt c); his deficientibus, qui ex patris defuncti supersunt; nec his exstantibus, qui ex patris magnis ejusdem supersunt; & sic porro. Et hæc sententia hodie tralatitia est, & opponitur ei tantum, quæ a veteribus quibusdam defensa est, & simpliciter ex gradu proximiori, jure scilicet Romano computato, in feudis succedi asserit; quam tamen non moramur. In eo autem doctissimi acutissimique viri divortium fecerunt, utrum in una eademque linea proximior gradu remotiorem excludat, an potius jure repræsentationis omnes ejusdem lineæ agnati in stirpes succedant d). Equidem in eam descendendum esse sententiam existimavi, quæ posita lineæ proximitate in ea juris repræsentationis ulterius rationem non habet, quam quatenus jure Romano in jure Longobardico in sub-

c) *defuncto vasallo sine liberis, si existant nepotes aut pronepotes ex fratre, & patruus, qui in feudum succedere cupiunt, patrum non jurat, quod proximiori gradu defunctum attingit, sed nihilominus prædefuncti fratris nepotes aut pronepotes præferentur, non quidem jure repræsentationis, sed ea sola de causa, quia in linea sunt proximiori.* Henniges ad Grot. de J. B. ac P. lib. II. c. 7. § 22.

d) Sibi ipsi sunt contrarii, uti supra notavimus, qui in eadem linea gradu proximum, extincta autem una linea ceteras in stirpes succedere ajunt. Numquam nisi in eadem linea succeditur. Extincta enim linea inferiori succedit superior. Seu eadem persona duplici respectu est in linea inferiori & superiori. Cur igitur in superiori valere non debet; quod in inferiori, aut non in inferiori, quod in superiori.



subsidium vocato ejus habetur ratio, superiores autem agnatos non nisi secundum gradus proximitatem admittit.

§ 46.


Ad hanc evincendam sententiam possem uti eo argumento, quod maxime fit probabile, Longobardos origine Germanos, cum primum Germanicæ successionis characterem, (§ 14) proximitatem lineæ, servarint, servasse etiam alteram, proximitatem scilicet gradus in eadem lineæ; qui posterior eo facilius potuit servari, quod jus Romanum ei non modo non contrarium fuit, sed et eundem servat ordinem. Facile enim potest animadverti, admittæ lineæ proximitate, sive more Romano, sive germanico computes, easdem personas semper æque proximas fore. (cf supra § 14.) a) Sed hac potissimum utar ratione, quod clarissimis juris Longobardici textibus constet, proximiorrem remotiori præferri. Provoco primum ad Textum II. F. 11. ubi ex professo, ut ajunt, de successione feudali agitur. Jam, si successio in stirpes perpetuo representationis jure locum haberet, uno verbo hoc potuisset dicere Feudista tam de descendantibus, quam de collateralibus defuncti. At ille longe aliter. *Mortuo eo, qui beneficium tenebat*, ait, *prima causa liberorum est.* Libero-

H 3

rum

§. a) Adde, quod in ipso jure feud. Long. nonnumquam septimæ gradus fit mentio, I. F. 1. §. 3. I. F. 8, §. 1. (cf. § 7.).





rum ait, ut intelligas, jus repræsentationis locum habere. Jam de agnatis quid ait? His deficientibus agnati in stirpes vocantur? Nequaquam. Sed pergit: *His vero deficientibus vocantur primo fratres cum fratrum præmortuorum filiis*, (cur non & cum fratrum præmortuorum nepotibus?) *deinde agnati ulteriores*. At qua ratione? non addit Feudista; cum tamen reliqua, in quibus successio feudalis a civili differt, sollicitè exponat. Tantam itaque tamque insignem differentiam, qualem successio illa linearis constitueret, exponere neglexit feudista! Mox tamen ait: *Si vero dominus vel alius beneficium defuncti novum esse dicat, agnatus autem illius proximus paternum esse contendat &c.* Alter textus, qui hanc rem in clara luce ponit, legitur in II. F. 37. ubi: *ad agnatum proximorem feudum pertinebit, si paternum fuerit: eodem prorsus observando, quantum ad ordinem gradus, qui continetur in legibus*. Provocat hic Feudista ad *leges*; ambigitur autem, utrum ad Romanas b), an ad Longobardicas c). Utrumvis assumam d)

id

b) Has subaudit G. L. BOEHMERUS; provocatque ad II. F. 1. Equidem provocarem ad I. F. 1. §. 2. ubi ita distinguendum:— *succedat legibus, tamen &c.*

c) Has intelligit supra laud. FISCHERUS in *der E. Hofgesetz.* pag. 129. sq. Parum tamen pro ipso facit textus II. F. 1. multo minus vero fragmentum legis salicæ, sive Longobardicæ ex MURATORIO descriptum, quod, ut supra §. 24. diximus, nil minus, quam juri successionis in stirpes favet.

d) FR. HOTTOMANNUS plane subaudit canonicas. Acute sane.



id meæ non obstabit sententiæ. Supra enim probatum dedi, siue Romano siue Longobardico more instituaturs computatio, modo obseruetur prærogatiua linearum, easdem personas ad successiõnem vocari. Sed et si hoc in dubio deberet relinqui, nulla tamen plane ratione explicari aut defendi possit, Feudistam, dum proximitatis, graduum, ordinis gradus e) mentionem facit, plane contrarium, scilicet successiõnem in stirpes designare et his verbis ad alterum textum II. F. 50. nos remittere voluisse f). Præterea nec *legum* appellatio nos ad ipsam de feudis compilationem ducit, quæ nullibi hac appellatione venit; multo minus, si meminerimus, libros feudorum ex aliis vetustis Autoribus, quorum sane scripta *legum* nomen non merita erant, esse compilatum; neque, si textus noster nos ad alium juris feudalis textum remitteret, dicendum erat, *eodem obseruando*, sed *eo obseruando*. Cum enim dicit, *eodem obseruando*, tacite innuit, ordinem succedendi agnatorum in successiõne feu-

vidit enim Longobardos romana computatione non usos, sed canonica, seu, quod idem est, Germanica vid. supra § 14.

e) etiam si cum PREUSCHENIO c. 1. § 16. *ordinem gradus* explices *ordinem successiõnis*. Cur enim in re, in qua graduum mentio plane fieri non debebat, gradus vocabulum substituit voc. successiõnis.

f) Ita Jcti Getting. in supra alleg. Resp. *die Rheing. Dhaun. Erbf. betr.* p. 29. hunc textum explicare & alteri II. F. 50. accommodare voluerunt.



feudali, quæ consuetudine regatur, non alium esse, ac in successione non feudali, quæ legibus determinetur.


## § 47.

Sed obstat nimirum textus luce meridiana clarior, II. F. 50. Equidem vero victas nondum dederim manus. Audiamus primo ipsum textum, subjungamus deinde adverbiorum explicationes, eisque quantum fieri potest, satisfaciamus. Textus autem ita habet: *Successionis feudi talis est natura quod ascendentes non succedunt: verbi gratia pater filio.* (De ascendentes loquitur primo loco, quia plane removentur.) *Inferius vero filius patri succedit, & non filia, nisi ex pacto, vel nisi sit femineum.* Tunc enim succedit filia matri & patri: secundum quosdam succedit nepos ex filio solus. (Scilicet in feudo etiam feminino nepos excludit filiam.) *Et sic usque in infinitum.* (Hæc verba si jungantur proxime antecedentibus, hoc volunt, in feudo feminino masculos tamen feminis præferri in infinitum; si jungantur superioribus, quod plus rationis habet, hoc, filios patri succedere in infinitum, seu quamdiu adsint filii, feudum non finire.) *Ex latere omnes per masculos descendentes, usque in infinitum, si feudum sit paternum. Paternum autem voco quicumque ex superioribus id acquisivit.*

Ut



Ut sequentia verba facilius intelligantur, formandum erit sequens schema:



Pergit igitur Feudista: *Dummodo scias, quod si quis (A) habens beneficium, quatuor superstribus filiis (B, C, D, E,) decedat, & feudum ad unum solum (ex gr. B) ex divisione deveniat, & iste superstribus filiis duobus vel tribus (F, G, H,) decedat, qui (respectu ad reliquos ex familia, C, D, E, eorumque filios) patruales dicuntur, & ad unum eorum (F) beneficium feudi ex divisione perveniat & similiter iste superstribus filius (I, K,) decedat, qui (etiam) patruales dicuntur (respectu scilicet ad G, H, eorumque posterios): ad quorum unum (v. gr. ad I.) feudum similiter pervenit: sicut etiam ex aliis superioribus (G, H,) vel primis fratribus (C, D, E,) supersunt masculi (ex illis L, M, N, ex his, O, P, Q, R): si ille (I) qui feudum habet, decesserit nullo filio relicto: (nam si filium*

I

reli-



reliquerit, dubium non est, quod filius patri succedat; nullo vero filio relicto venientes ex latere succedunt) *an ad omnes*, (collaterales seu descendentes ab A) *vel ad quos perveniat, quaeritur.* (Attendatur paululum ad sensum hujus quaestionis, est enim ambigua: *An ad omnes perveniat*, potest esse: *an ad omnes simul perveniat*; potest etiam significare: *an ad omnes pervenire possit*, id est, an omnes & singuli in ea sint conditione, ut ad eos pervenire possit) *Respondeo, ad solos & ad omnes, qui ex ista linea sunt, ex qua iste fuit.* (Intelligit sine dubio lineam B, possit etiam intelligi linea F,) *Et hoc est quod dicitur ad proximiores pertinere.* (Omnes in linea B, comprehensi proximiores sunt ceteris. Ad hos itaque feudum pertinet, priusquam ad reliquos deveniat.) *Isti vero (omnes) proximiores esse dicuntur respectu aliarum linearum (C, D, E,). Sed omnibus ex hac linea (B) deficientibus omnes aliae lineae (C, D, E,) aequaliter vocantur.* Aequaliter! id vero rursus ambiguum est, vel: aequis partibus, ut quaevis linea partem suam accipiat, vel aequaliter ita, ut nulla linea v. gr. C, praeter alia D, E, vocetur, sed omnes eodem jure.

## § 48.

Si hunc textum attentius consideremus, apparet, Feudistam semper ante oculos habuisse successionem juris civilis a), & cum ea tacite comparasse successionem feudalem. Incipit enim

a) Romani sine dubio, quo prope imbuti erant libri feudorum Auctores.




enim: *successionis Feudi talis est natura.* Unde hanc rem per modum *differentiarum* exponit, neque ea, in quibus concordarent successio feudalis & civilis, exponenda sibi esse duxit. *Prima* differentia est, quod *ascendentes* non succedant; *secunda*, quod *filiae* non succedant in feudo proprio. *Tertia*, quod *collaterales* eo tantum casu, *si feudum sit paternum.* *Quarta*, quod collaterales tantum per *masculos* descendentes. *Quinta*, quod inter collaterales (*si ille, qui feudum habet, decesserit nullo relicto filio*) *proximitas lineae servetur.* In reliquis conspirat successio feudalis cum civili. Itaque quemadmodum, cum de successione descendentium dixit, non necessarium duxit, monere, eos jure repræsentationis succedere: ita etiam, cum de successione collateralium loquitur, non monuit, in una eademque linea servari prærogativam gradus. Utrumque enim tamquam vulgatum tamquam juris communis supposuit. Ita hic textus non tantum secum, sed et cum ceteris juris feudalis textibus in concordiam reducitur. Sed & alia ratione evincam, textum nostrum proximitatem gradus in eadem linea non excludere. Quæro, in verbis: *qui ex illa linea sunt, ex qua iste fuit*, quamnam intelligat lineam feudista? Aut F, aut B. Si intelligit lineam F, in qua superest defuncti I. frater K (dicit enim Feudista, *F. decessisse supersitibus Filiis*) tum satis constat fratrem solum succedere, & non posterit explicari, quomodo dicat feudista, hac linea F. deficiente, omnes alias B, C,

I 2

D,





D, E æqualiter vocari. Nam nec adversarii hoc concedent. Si vero intelligat (quod jam negari nequit) lineam B, quæ sub se continet lineam F, tum nec adversarii negabunt, fratrem tamen K excludere reliquos in linea B comprehensos, adeoque, si Feudista, dicat, ad *solos & ad omnes, qui ex ista linea sunt, &c.* apparret hæc verba non esse captanda, sed ita tantum interpretanda: quamdiu ex hac linea B. supersint aliqui, feudum ad unum e reliquis lineis pervenire non posse, si vel *unus* ex ista supersit, hoc est pervenit ad omnes.

§, 49.

Hanc nostram explicationem ob ambiguitatem verborum *omnes & æqualiter* locum habere *posse*, nemo temere negaverit. Si quis autem morosus instet, quæram ex eo, quænam conciliatio duorum textuum, prima specie sibi contrariorum, debeat præferri? Utrum ea, quæ ex uno plane novi quid juris exsculpit, alterum autem non nisi contorte huic accomodat; an ea, quæ in altero nativam verborum vim servat, alterius autem ambigua verba ita explicat, ut priori, ut juris rationi, ut historiæ consentiat? Meminerit lector omnium, quæ hac dissertatione dicta sunt, & ferat sententiam!

§ 50.

Audiat tamen eos quoque, qui textum nostrum plane proximitati graduum adversari, sibi persuaserunt, PREUSCH-

NIUS



NIUS a) dicit: textus nostri duas esse partes, *generalem* unam, alteram *specialem*. In illa regulam, in hac applicationem regulæ in exemplo proponi. At vero huic partitioni statim repugnant verba *dummodo scias*, quæ certe non a regula ad adplicationem sed ad exceptionem transitum fieri arguunt. Tum redit ad supra examinatum principium: omnem successionem feudalem esse descendentium, quod verum est respectu primi acquirentis, non respectu defuncti vasalli. Id tamen confirmari putat verbis textus: *Inferius filius patri succedit*. Quis autem non videt, in textu nostro respondere sibi verba: *ascendentes, inferius, ex lateve?* b) Regulam autem ipsam, de qua superius, his verbis contineri asserit: *Inferius filius patri succedit*, non tantum is, cujus pater feudum in divisione accepit; sed et is, cujus pater per divisionem in feudo tamdiu exclusus est, dum ex illo supersunt masculi. *Succedit nepos ex filio solus*, exclusis, inquit, remotioris patris aut ejus ex fratre nepotibus; His non obstantibus *ex lateve* (ejus, qui feudum in divisione acceperat) omnes (nullo excluso) *per masculos descendentes* (scilicet a primo acquirente.) Verum enim vero, quis unquam succedere filium patri dixit, cum tamen successionis objectum


§ 50. a) c. 1. sect. II.

I. 3

de.

b) Etiam jure civili collaterales certo sensu dici possent descendentes, scilicet communis stirpis.





deficit? Quis unquam dubitavit, an cum nepote ex filio concurrant remotioris patris aut ejus ex fratre nepotes? Ubi tandem ulla in textu ante verba *ex lateve* &c. divisionis mentio, ut hæc verba ad eum possint trahi, qui feudum in divisione acceperat? Comparetur hæc explicatio cum ea, quam § 48. dedi, & judicetur, quæ menti Feudistæ secundum naturalem verborum situm & significatum sit convenientior. Præcipue autem in verbis: *ex lateve descendentes præsidium quærit*; at omisit intermedia verba *per masculos*, quæ sensum dubium non relinquunt c). Quæ porro de parte secunda textus nostri dicit, ut eam regulis suis applicet, omnia eo redeunt, quod premat vocabula *omnes & æqualiter* d), quæ vero ut supra diximus, ambigua sunt. Quod ultimo loco obvertit PREUSCHENIUS, ICTOS veteres, quia non viderint, lineam stirpemque idem denotare, pervertisse interpretationem loci nostri: id nec historia adjuvatur, nec

vero

c) Cæterum optime contra SCHILTERUM probavit, verba textus: *ex lateve* - - - *in infinitum* esse genuina, & in Codicibus MENCUCII & BARATERII lapsu librarii omiſſa.

d) Si ita premenda essent vocabula, possent quoque *sub omnibus* intelligi filii eorum patrum, qui in linea aliqua supersunt, ut hi cum patribus deberent admitti; posset sub phrasi, *omnes alia lineæ æqualiter succedunt*, intelligi, omnes lineas, non tantum primas, sed et ultiores, si forte ex primis aliqua in plures se dividerit, omnes tamen sive superiores sive inferiores æqualiter succedere, id est æquas capere partes,



vero est simile, eos adeo ignorasse mores patrios, ut tam insignem admitterent errorem. Probat vero *Andr. de Isernia*, auctoris sat veteris locus, eum probe perspectam habuisse *linea* ideam. Is ita habet e): *Proximiores agnati succedunt, sed illis deficientibus vocantur omnes aliae lineae aequaliter, id est, qui sunt in proximiori (proxime superiorem int.) linea post illam, aequaliter admittuntur* f). ULR. ZASIUS opinionem, quod in stirpes succedatur, communem suo tempore esse dicit g).

## § 51.

ICTI Goettingenses a) praeter generalem hanc rationem, quod si Auctor textus nostri feudalis nihil aliud voluisset dicere, quam proximiorum e collateralibus succedere (more scilicet romano computatis gradibus), tribus hoc verbis potuisset dicere, innituntur verbis *omnes & aequaliter*. Ad posteriorem rationem jam respondi: ad priorem

au-

e) ad H. F. 50 n. pen.

f) Cf. etiam *TEXTOR* de success. lineal. in fin. ubi plures allegantur Auctores. Et ipse *PREUCHENIUS* § 15. plurimos tam veteres quam recentiores allegavit. Semper autem meminerimus, ut ipse praestantissimus hic Auctor quodam loco dicit, auctoritates non esse numerandas, sed ponderandas,

g) all. *PREUSCHEN*. c. I. § 26.

§ 51. a) in saepius all. resp. p. 26. sq.



autem respondeo, Auctorem textus nostri omnino nec dicere voluisse nec potuisse, agnatos secundum jus civile romanum succedere, sed exponere voluisse differentiam successione civilis & feudalis, quæ in eo consistit, quod jure romano nulla habeatur ratio proximitatis linearum, sed gradus tantum, jure vero feudali proximitatis tam linearum quam graduum. (cf. § 48.)

## § 52.

His hæcenus deductis addam tantum unam alteramve observationem de ordine succedendi jure *primogenituræ*. Hic specialis succedendi ordo sine dubio interpretationem recipere debet ex jure communi, quatenus ab hoc specialibus normis recessum non est. Rursus igitur quoque ex iis, quæ de hoc speciali succedendi ordine hic ibi statuta sunt, ad juris communis ordinem licebit concludere. Et antiquissimum, nisi fallor, legis licet specialis exemplum de introducto primogenituræ ordine invenitur in insigni Aurea Bulla, a Friderico I. Imp. anno 1156. Henrico Austriæ Duci data a). Audiamus igitur ejus verba: *Et si, quod Deus avertat, Dux Austriæ sine herede filio decederet, idem Ducatus ad senioverem filiam, quam reliquerit, devolvatur; Inter duces austriæ, qui senior fuerit, dominium habeant dictæ terræ, ad cujus etiam senioverem filium dominium*

§. 52. a) Primus illam publicæ luci dedit de SENKENBERG von demselben Gebr. &c. p. 123. Legitur etiam apud de Otenschlager Erläutr. der G. R. Urk. n. IX.



nium jure hereditario deducatur, ita tamen, quod ab ejusdem sanguinis stirpe non recedat. His verbis 1) feminae deficientibus masculis admittuntur, 2) seniori datur praerogativa, sed ita tamen, ut ab eodem sanguinis stirpe non recedat jus hereditarium. Quid hoc est? Tribus verbis stabilitur planissimus succedendi ordo, quem duabus exprimam regulis: a) is succedit, qui ab eodem sanguinis stirpe (cum defuncto scilicet) descendit. Nonne his apertissime stabilitur illud primum, quod supra deduximus, successionis germanicae principium, quod linearum proximitatem vocavimus. Et eatenus hic succedendi ordo conspirat cum jure communi. b) Inter eos, qui ab eodem stirpe descendunt, succedit solus *senior*; subaudiendum inter eos, qui gradu proximi sunt, quod exprimi necesse non fuit, cum esset juris communis, nemoque ideo tempore ignoraret, aut in dubium vocaret. Videmus, cur sine omni ambiguitate adhiberi potuerit vocabulum *senioris*. Haec de diplomate illo *Frideviciano* sufficiant; hodiernus autem primogeniturae ordo hujus non est loci.

## § 53.

Expendamus tandem etiam verba Aureae Bullae Caroli IV. Imperatoris de primogeniturae ordine in Electoratibus servando, quae ita habent a): *Decernimus, ut postquam iidem principes Electores seculares, & eorum quilibet esse desierit, Jus, vox & potestatis*

§ 53. a) cap. VII. apud de OLENSCHLAGER c. l.

K



restas electionis hujusmodi ad filium suum primogenitum legitimum  
 laicum, illo vero non exstante ad ejus primogenitum similiter laicum  
 libere & sine contradiccione, cujuspiam devolvatur. Si vero pri-  
 mogenitus hujusmodi absque heredibus masculis legitimis laicis ab hac  
 luce migravet, virtute presentis imp. edicti, Jus vox & potestas  
 electionis predictae ad seniore[m] Fratrem laicum, per veram paternalem  
 lineam descendentem, & deinceps ad illius primogenitum laicum de-  
 volvatur. Duos ponit casus Carolus IV. qui rem omnem  
 complectuntur; Aut primogenitus relinquit heredes, id est,  
 liberos masculos, aut non. Illo casu ad heredes ipsius de-  
 scendit successio perpetuo representationis jure, sive obtinet  
 successio descendentium. Hoc autem casu redit ad successio-  
 nem collateralium. Qrem igitur horum vocat Carolus IV? 1) *Non nisi eum, qui per veram paternalem lineam descendit*, id est,  
 qui a defuncti parente proximo descendit. 2) *Ex his autem se-  
 nio[re]m*. Seniore[m] ex iis sine dubio, qui nisi haec lex intercede-  
 ret, simul successissent. Quam ambigue autem haec Carolus di-  
 xisset, si ipse tempore obtinuisset inter collaterales aliquod re-  
 praesentationis jus. Quam facile poterat fieri, ut in linea secun-  
 do geniti ipse quidem secundo genitus non exstaret, ejus tamen  
 heredes exstarent? Quam inepte ex gr. secundo geniti filius  
 aut nepos diceretur Senior? At quam plana, quam facilia,  
 quam nulli omnino ambiguitati (quam cavere maxime Ca-  
 rolus volebat) obnoxia omnia, si supponamus, Caroli aetate  
 nemi-



nemini fuisse dubium, inter collaterales propriorem tantum gradu succedere. Itaque mirifice ex hac Aureæ Bullæ dispositione nostra stabilitur superior sententia de prærogativa gradus in eadem linea b). 3) Huic deinde Seniori succeditur eodem ordine, qui perpetuus est in successione germanica. Primo scilicet omnium filii; in electoratus autem primogenitus tantum. Ait enim *deinceps* id est, & huic, scilicet seniori, seu si hic decesserit. Non ut supra: *hoc non exstare*. Scio equidem novioribus legibus Imperii hunc ordinem esse immutatum. Id vero hoc loco nihil ad rem facit.

b) Neque obstant verba Bullæ Saxonæ, imo confirmant potius: *Si vero primogenitus Ducis Wenceslai præfati decesserit, masculini sexus laicis duntaxat legitimis heredibus non reliquis, ex tunc secundogenitus filius Wenceslai Ducis prædicti & post obitum ejus secundogeniti filius senior laicus &c.* Verba enim post *post obitum ejus* satis innuunt, ponit casum, quo secundogenitus extincta linea primogeniti superstes sit.





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 15 horizontal lines.





Stuttgart, Diss., 1775/92

ULB Halle  
007 004 206


3



W 18









F. S. m. m. a

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
FATIS ORDINIS SUCCEDENDI  
IN FEUDA LEGITIMI.

QUAM


ACADEMIÆ MILITARIS  
STATORE AC PROTECTORE SUMMO  
SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO

DUCE AC DOMINO,

DOMINO

CAROLO,

DUCE WIRTEMBERGIÆ ET TECC, REGNANTE ETC,




STUTTARDIÆ DIE IX. DEC. MDCCLXXIX.

PUBLICÆ DEFENDET

LUD. FRID. JOH. GRUB, STUTTARD.

DUCALIS ACADEMIÆ MILITARIS ALUMNUS.

STUTTARDIÆ,  
TYPIS CHRISTOPHORI GODOFREDI MENTLERI.



282

1779 2

4

